

Vide Cavalla Marchalys vide capite 25

Ff. lit. U.
15 b

Dupl reg Bibliothecæ
Monacensis

Anno 1558

<36617444010013

<36617444010013

Bayer. Staatsbibliothek

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ ab Nettesheym, De incertitudie & vanitate scientiarum declamatio inuectiua, qua vniuersa illa sophorum gigantomachia plus quam Herculea impugnatur audacia: docetur q; nusquã certi quicquam, perpetui, & diuini, nisi in solidis eloquijs atque eminentia verbi dei latere.

Capita tractandorum totius operis, sequens indicabit pagella.

Anno M. D. XXXI.

De incertitudine & vanitate scientiarum.

LOCI COMMVNES SIVE CAPITA TRACTANDORVM.

De scientijs in generali 1.
De literarũ elementis ñ.
De grammatica iñ.
De poesi iiñ.
De historia v.
De rhetorica vi.
De dialectica viñ
De sophistica viñ
De arte Lullñ ix
De arte memoratiua x.
De mathematica in gñe. xi
De arithmetica xñ
De geomantia xiñ
De aleatoria xiiñ
De sorte pythagorica xv.
Adhuc de arithmetica xvi
De musica xviñ.
De saltatõib. & choreis. 18
De gladiatoria xix
De histrionica xx
De rhetorismo xxi.
De geometria xxñ.
De optica xxiñ
De pictura xxiiñ
De statuaria & plastica. xxv
De specularia xxvi
De cosmimetria xxviñ
De architectura xxviiñ
De metallaria xxix
De astronomia xxx
De astrologia iudiciaria. 31
De diuinationibus in gñe. 32
De physionomia 33
De metoposcopia xxxiiñ
De chiromantia. xxxv
Rerum de geomãtia. xxxvi
De aruspicia xxxviñ
De speculatoria xxxviiñ
De somnispicia xxxix
De furore xl.
De magia in genere xli.
De magia in naturali xliñ
De magia mathematicali 43
De magia venefica xliiiñ
De goetia & necromãtia 45
De theurgia xlvi
De cabala xlviñ
De præstigijs xlviii
De philosophia naturali 49
De principijs l.
De mundo li.
De anima liñ
De metaphysica liñ.
De morali philosophia liii
De politica. lv
De religione in genere lvi.
De imaginibus. lvii
De templis lviii.
De festis lix.
De ceremoniis lx
De magistratib. ecclesiæ lxi
De sectis monasticis lxii
De arte meretricia lxiii.
De arte lenonia lxiiii
De mendicitate. lxv
De œconomia in gñe lvi
De œconomia priuata. lxvii
De œcono. regia siue aulica
De nobilibus aulicis lxix
De plebeis aulicis lxx
De mulieribus aulicis. lxxi
De mercatura lxxii
De quæstura lxxiii
De agricultura lxxiiii

De pastura. lxxv.
De piscatione. lxxvi.
De venatica & aucupio. 77
De agricultura residuũ 78
De arte militari lxxix
De nobilitate lxxx
De arte heraldica lxxxi
De medicina in gñe lxxxii
De medicia opatrice lxxxiii
De pharmacopolia lxxxiiii
De chirurgia lxxxv
De anatomistica lxxxvi
De veterinaria lxxxvii
De dietaria lxxxviii
De arte coquinaria lxxxix
De alcumistica 92
De iure & legibus xci.
De iure canonico xciĳ.
De arte aduocatoria xciĳ.
De arte notariatus & procuratoria xciiĳ.
De iuris prudentia. xcv
De arte inquisitorum xcvi
De theologia scholastica. 97
De theolo. interp̃tatiua 98
De theologia, pphetica xcix
De verbo dei c.
De scientiaꝝ magistris ci.
Ad encomiũ asinidigressio. cĳ
Operis peroratio

Inter diuos nullos non carpit Momus.
Inter heroas monstra quæq; insectatur Hercules.
Inter dæmones rex Herebi Pluton irascitur omnibas vmbris.
Inter philosophos ridet omnia Democritus.
Contra deflet cuncta Heraclitus.
Nescit quæq; Pyrrhias.
Et scire se putat omnia Aristoteles.
Contemnit cuncta Diogenes.
Nullis hic parcit Agrippa.
Contemnit, scit, nescit, flet, ridet, irascitur, insectatur, carpit omnia.
Ipse philosophus, dæmon, heros, deus & omnia.

SPECTABILI VI,
RO DOMINO AVGVSTINO
Furnario ciui Genuensi, Henricus Cornelius Agrippa ab Nettesheym.
P. S. D.



Ogitanti mihi (integerrime Augustine, qui benemerendi studio mihi perpetuo debendæ gratiæ reũ effecisti) quo cultu, qua veneratione, q̃ pignore, quaue ingenij industria tibi hanc animi mei obseruantiam testarer, animus erat te pulchro aliquo & magno (qñ tu pulcherrimis maximisque dignissimus) munere adornare, ac cum ornatissima sermonis integritate, tum locupletissima rerum dignitate, gratissimoque sententiarum pondere, tibi de penitissimis vtriusq; diuinæ & humanæ literaturæ libris offerre: uerũ cum ego tanto animo meo cum doctrina & ingenio longe sim inferior, tũ dicendi facundia sermonisq; elegantia illum remoto gressu sequor, non habeo in mei ingenij suppellectile quod præstare possim, præter insignem ignorantiam, ipsumque iacet ingenium fortunæ meæ indignatione deiectum, adeo vt ex ipsa indignatione fer me cum Troiana illa Hecuba versus sim in canem, ac nullarum virium sim ad bene dicẽdum, nil amplius memini nisi mordere, oblatrare maledicere, conuiciari. Atque sic affectus scripsi his diebus volumen satis amplum, cui de incertitudine & vanitate scientiarum titulum feci, in q̃ sic in vniuersam illam scientiarum atq; artiũ gigantomachiam oblatraui, sic omnes illos scientiarum & artium robustissimos venatores validissimis morsibus perstrinxi, vt q̃ties opus ipsum re-

uiso, ipse ego me demirer talem in homine canem, & cui nihil caninum desit præter vnam adulationem, licet aulico admodum necessariam. Ne igit obseruantiæ tuæ desertor esse videar, dum condigna te, & ex scientiarum deprõpta thezauris, fœcunda munera impendere nequeo, saltem ex eadem ignorantiæ & indignationis meæ officina, hanc Cynicam declamationem in obseruantiæ in te meæ argumentum tibi nũc offero: hac te dono, hãc tibi dedicatã constituo, magnitudinẽ animi erga te mei libenter ostensurus, atq; quã vigilẽ custodem, quam oculatum speculatorem, quam audacem militem, quam magnanimum ducem in me tibi acquisieris, qui cum velut e sublimi specula hostes procul denuncio, quo se diuinarum literarum ciues in loca recipiant tutiora, tum pro eorundem omnium salute omnibus me laceran-dum obijciens, primus cominusque in acie propugno: quo facinore tantum abest q̃ meruam inuidiam, vt gratiam ab omnibus mihi deberi putem, qui ad operam publicæ vtilitatis simul speculator & miles denũciem & impugnem, quibus salus periclitatur humana, atq; insuper ducẽ me præbeam ijs, qui egredientes humanarum scientiarum labyrinthũ, in arcem tendunt veritatis. Accipe igitur nunc Augustine colendissime hãc qualiscunque est, declamationem, atq; illam tibi tuo iure habe: scio enim, si venator es, & canes amas, non poterit illa tibi non esse gratissima, verũ ego nunc e cane in crocodilum aut draconem aliũue igniuomum serpentem migrabor, & pyrographiam (opus quale hactenus nostra nõ viderit ætas sed non nisi famoso cuiquam orbis vastatori prouturum) protinus absoluam, tum sacra me spargere lympha & flumine viuo obluam, quo tandẽ

fatalibus his laruis exutus, rursus in hominem reuertar: ne quando nimiū pytagorissans, & in tā varias beluas demigrans, tandē Luciani & Apuleij instar in philosophantē asinū vertar: sed tu nunc felicissime vale, memineriſque cum hæc nostra legeris, quia nihil scire felicissima vita.

HENRICVS CORNELIVS Agrippa ad lectorem.



AN non tibi lector studioſe magnanimum præaudaxq; ac pene Herculeū hoc meum facinus videbitur, cōtra vniuersam illam scientiarum omnium, atq; artium gigantomachiā arma sumere, ac vniuersos illos scientiarum, artiumq; robustissimos venatores in arenā prouocare? Infrement aduersum me doctorum superciliū, licentiatorum eruditio, magistrorum autoritas, baccalaureorum conatus, & scholasticorum omnium zelus, mechanicorumque seditio. Quos si confecero, nonne aut par aut maius erit, atque leonem Nemæum claua percutere, hydram Lerneam igne interimere, aprum Erymanthæum occidere, ceruam in Menalio nemore aurea cornua gerentem capere, Stymphalidas aues in nubibus sagittis confodere. Antæum intra vlnas opprimere, columnas in oceano figere, Geryonem tricipitem vincere, boues abigere, taurum perimere, Acheolūmonomachia superare, Diomedis eqs abducere, Cerberū vinctum catena trahere, aurea Hesperidum mala rapere, eiusq;

generis plura, quæ ab Hercule & magnis laboribus nec minori periculo gesta sunt, cum non minoris laboris, periculi aũt quã maximi sit, hæc gymnasiotum atq; palęstrarum monstra superare. Neque enim non video, quam cruenta pugna hic mihi cominus ineunda est, atque quam plenum periculo bellum: cum sim tam potentissimorum hostiũ vallatus exercitu. Hei q̃t me machinis oppugnabunt, q̃t me impetent molimínibus, q̃t me persequentur ignominijs? Obstrepent imprimis pediculosi grammatici, atque ethymologijs suis ex Agryppa nomen indent podagricum. Attoniti poetæ pro Momo vel hirco Esopico traducent carminibus. Nugiuendæ historiographi supra Pausaniam & Herostratum profanabunt. Magnicrepi rhetores iratis oculis, terribili vultu, grandistrepis vocibus, diriſque gesticulationibus perduellionatus accusabunt. Monstruosi memoriographi laruis cerebrum obtundent. Pugnaces dialectici innumera syllogismorum tela in me conijcient. Flexiloqui sophistæ verborum laqueis suisque indissolubilibus, ceu iniecto freno, obturabunt. Barbarus Lullista absurdis verbis ac solœcismis dementabit caput. Terra cœloq; proscribent impij mathematici, Atomographi arithmetici concitatis in me fœneratoribus, ad alieni æris rationem cogẽt. Ad laqueum adiget peruicax aleator. Infaustos numeros supputabit sortilegus pytagoriſta. Carcerem tristitiamque infelices figuras proijciet punctator geomantes. Canent me in triuijs vulgi fabulam multitoni musici, ac stridulis ronchis dissoniſq; Concharum, peluium, patinarũq; strepitibus, plus q̃ solent digamorũ spon salitijs, obturbabunt. Excludent choreis pompoſę matronæ. Oscula negabunt blandulæ puellæ. Ca

melum saltantem subsannabunt garrulæ ancillulæ. Saltator histrio ludet in me turpi scena tragœdiam. Dextera lævaq; impetet centimanus gladiator. Perplexi geometræ iniectis triquetris tetragonisq; circulis tanq̃ Gordionijs nodis irretitum captiuabunt. Simia vel ipso Therſite deformiorẽ pinget, sculpetq; inanis opticus. Vltra Sauromatas & glacialẽ relegabũt vagi cosmimetræ. Dedaleus architectus inexpugnabilis machinis clandestine subcuniculabit, correptumq; inobseruabilibus labrynthis errare coget. Ad arrugias condemnabit Stygius metallarius. Suspendium cominabuntur fatales astrologi, cœlorumq; labili vertigine concensum ad superos cohibebunt. Ominabuntur omne malum minaces diuinatores, Frigidum in Venerem inualidiq; fœmoris diffamabit importunus physiognomus. Cerebricosũ aselum pronunciabit delirus metoposcopus. Diuinabit omnia sinistre fatidicus chiromantes. Tristi auspicio exaugurabit præsagus aruspex. Mittet vltrices flãmas Iouis, & præsagi fulminis ignes portentosus speculator. Nocturnis terrebit lemuribus tenebricosis oniropola. Furẽs vates ambiguo decipiet oraculo. Prodigiosi magi tanq̃ alterum Apuleium aut Lucianum in asinum, non tamen aureum, sed forte stercorarium transformabunt. Spectrisatq; manibus psequet ater goeticus. Sacrilegus theurgus caput consecrabit eskorakas vel forte in cloacas. Imprecabuntur suam tetractim dementulati cabalistæ. Acephalum spadonem mue repręsentabit anilis præstigiator. Discerpent pugnacissimis opinionibus contentiosi philosophi. Nosque inter canem & crocodilum migrare facient circulatores Pytagorici. Dolio aut sepulchro recludent fœdi mordacesque Cynici. Vxo

rem communicandam clamabunt pestilentes Academici: Enecabunt crapula glutones Epicurei. Mortificabunt animam, excludentque paradiso impij Peripatetici. Seueri Stoici adeptis humanis affectibus in silicem permutabūt. Vaniloqui metaphysici velut ex chao Demogorgoneo eorum quæ nusq̄ sunt nec erunt, nunq̄ non paradoxis mē rem euertent. Censores ethici in centum referēt tabulas. Interdicet muneribus legislator politicus: Abdicabit aula voluntarius princeps. Sissirijs propellent ambitiosi optimates. Insensatus populus vicatim affliget opprobrijs. Phalaris tauro cruciandum recludet terribilis tyrannus. In exilium agent factiosi oligorchæ. Plebs impetuosa & multorum capitum mala bestia, indicta causa rapiet in exitium. Proditionis insimulabit afflicta quæuis respublica. Aris interdicent auari sacerdotes. A pulpito lacessent laruati cuculliones, contumeliosique hypocritæ. Peccata reseruabunt æternis ignibus plenipotentes pontifices. Gallicam scabiem cominabuntur salaces meretriculę. Rapax leno lenaque temulenta obstetricabunt loculos. Excludent xerodochijs vlcerosi mendicantes. Sacrum incendium rabidosque morsus offerent gyrophagi quæstuarij, suisque destituent indulgentijs. Obærabit macello infidus dispensator œconomus. Impinget in Scyllas blasphemus nauta: Mercator improbus vsurisoppignoratū absumet. Furax quæstor compilabit stipendium. Prohibebunt amœnis hortulis duri agricolæ. Lupis me deuouebunt otiosi pastores. Hamum subijciet latentem vndiuagus piscator. Canes accipitresque immittet clamabundus venator. Deprædabit armipotens miles. Submouebunt ordine purpurati nobiles. Exuent maiorum imaginibus paludati heraldi, indictisque equitijs, quæ torneamenta

vocant, pro rustico exactionario inclamitabunt. Lotio & retrimētis scatophagi medici perfundēt E quibus loquax logisticus disputando de morbo tempestiuum substrahet remedium: Temerarius que empiricus dubio experimento mortis exponet periculo: Fallax methodicus procrastinando remedia, ægritudinem producet suum ad compēdium: Exugent clysteris sordidi pharmacopolæ Dentibus ac testibus insidiabuntur emasculatores chirurgi: Dissecandum postulabunt crudeles anatomistæ: Angario recludet immundus veterinarius, ac quadrigario puluerę occæcabit oculos Fame conficiet præuaricator dietarius, Offam insulsam siticulosus obtrudet coquus. Diuitijs interdicet prodigus alcumista, ablegabitq; fornaculis. Vastissimis glossarum suarū voluminibus obruent inexpugnabiles iuristæ: Maiestatis reum agent fastuosi legulei: Excommunicabunt ditis execrationibus arrogantes canonistæ: Sexcentum calumnias intentabunt litigiosi causidici. Colludet cum aduersario deserta causa subdolus procurator. Subscribet falsum dubius tabellio. Cō demnabit actionis inexorabilis iudex, negabitque (qs vocant) appellandi apostolos. Destituet rescripto imperiosus archiscriba cancellarius. Hæ reseos inclamabunt obstinati theosophistæ, aut ad idola sua sectari compellent. Ad palinodiā vociferabunt supercilioſi magistri nostri magnisq; sigillis proscribent sorbonici Atlantes. Vides nūc Lector quanta obeam pericula? facile tū hos insultus euadendi spes est, si tu modo veritatis patiens, posito liuore, candido animo ad hęc legenda accesseris. Habeo p̄terea q̄ me tuear v̄bū dei, q̄d ego his pro clypeo scutoq; itrepidus opponā. Et si oporteat, q̄ pro illo libens tantos in me concitaui

hostes, libens etiam occumbam, priusquam desera
ram. Et te scire volo me non odio, non ambitione,
non dolo, non errore inductum hæc scripsisse, nec
me sacrilega cupiditas, nec improbæ mentis ar-
rogantia ad hoc impegit: sed causa omnium cum
iustissima tum verissima, q̃ videlicet videam
multos humanis disciplinis scientijsque vsque a-
deo insolescere, vt sacratum literarum eloquia, et
canonicas spiritus sancti scripturas (quia care-
ant ornamentis verborum, viribus syllogismo-
rum, affectatisque suadelis, & peregrina philoso
phorum eruditione: sed simpliciter in operatione
virtutis, & nuda fide firmatæ sunt) idcirco tan-
quam rusticas & idioticas non modo despicere
& aspernari: sed & velut contemptu quodam in-
super insectari. Alios etiam videmus, licet sibi
magis p̃ videantur, qui Christi leges probare et
confirmare nituntur decretis philosophorum, illis
plus tribuentes quã sanctis dei prophetis, euange
listis, & apostolis, cum tamẽ hi ab illis plus dis dia
pason absint. Præterea in multis ac ferme omni-
bus gymnasijs peruersus mos ac damnabilis con
suetudo inoleuit, quod initiandos discipulos iureiu
rando adigunt Aristoteli, aut Boetio, aut Tho-
mę, aut Alberto, seu aliocuiuis suo scholastico deo
sese nunq̃ repugnaturos: a qbus si q̃s latũ vnguẽ
diuersum senserit, hunc hæreticũ, scãdalosum, pia-
rũ aurium offensiuum, igne flammisq; absumen-
dum proclamant. Hi igit̃ tam temerarij gigantes
& sacrarũ literarum hostes aggrediendi sunt, illo
rũ castra & arces expugnanda sunt, ostendendũ
que q̃ta sit hominum cæcitas, cum tot scientijs et
artibus, cum tot insuper singularum magistris &
autoribus, semper a veritatis cognitiõe aberrare: q̃
ta etiam temeritas, quam arrogans præsumptio,

philosophorū scholas præferre ecclesię Christi, opi
nionesq; hominum præponere aut adæquare ver
bo dei. Denicq; quam impia tyrānis, captiuare ad
præfinitos autores studiosorum ingenia, & adime
re discipulis libertatem indagandæ & sequen
dæ veritatis. Quæ omnia cum tam manife-
sta sint, vt inficiari non possint, venia
danda erit si liberius ac forte amarulen
tius in aliqua disciplinarum gene-
ra, earumdemve professores vi
dear perorare. Vale.

NOBILIS VIRI HENRICI CORNELII AGRIPPÆ, Equitis aurati, & vtriusque iuris doctoris, sacræ Cæsareæ maiestatis a consiliis & Archiuis indiciarij, de incertitudine & vanitate scientiarum atq; artium declamatio.

De scientijs in generali. Cap. I.



VEtus opinio est, & ferme omniū philosophantiū concors et vnanimis sententia, qua arbitrantur scientiam q̄libet, homini ipsi pro vtriusq; captu ac valore nonnihil diuinitatis adferre, ita vt sæpe vltra humanitatis limites in deorū beatorum choros eos referre possint: hinc varia illa & innumera scientarum encomia prodierūt, quibus vnusquisq; eas artes atq; disciplinas in q̄bus iā diuturno exercitio ingenij sui vires exacuit, non minus ornato quam longo sermone nititur omnibus anteferre, & vel supra cœlos ipsos extollere. Ego vero alius generis persuasus rationibus, nil pernitiosius, nihil pestilentius hominum vitæ, animarumq; nostrarum saluti posse contingere arbitror, quā ipsas artes, ipsasq; scientias. Ideo que conuerso ordine agendum censeo, et scientias ipsas non tantis præconijs extollendas, sed magna ex parte vituperandas esse mea opinio est, nec vllam esse quæ careat iusta reprehensionis cēsura, neque rursus quæ ex seipsa laudem aliquam mereatur, nisi quam a possessoris probitate mutuatur. Ea autem modestia hanc sententiam meā a vobis accipi volo, vt me nec alios velle repre-

hendere, qui diuersum sentiunt, nec mihi aliquid arrogare insolentius putetis. Itaque mihi in hoc a reliquis dissentienti veniam dabitis, donec a singulis per ordinem literarum facultatibus, hanc sententiam auspicabimur, non vulgaribus duntaxat argumentis, & a superficie rerum sumptis, sed rationibus firmissimis, & ex intimis rerum visceribus eductis: nō ulla Demosthenis aut Chrysippi arguta eloquentia, quæ mihi sacras literas profitenti opprobrio esset futura, tanquam adulationes amanti, si fucos dicendi sequar. Nam loqui proprie, non eloqui: & rei veritatem, non sermonis ornatum, sacrarum literarum professorem intendere decet. Non enim in lingua, sed in corde veritatis sedes est. Nec interest in dicendis veris quali sermone vtamur, mendacium enim eloquentia verbisque phaleratis indiget, vt se possit hominum mentibus insinuare: veritatis autem sermo, vt scribit Euripedes, simplex existit, non quærens fucum, nec pigmenta. Quod si ergo assumptum negotium absque omni eloquentiæ flore (quæ eaipsa quoque nunc a nobis, etiam nō tam negligenda quam damnanda erit) vestris delicatissimis auribus offundam, ea vos precor feratis patientia, qua Romanus ille imperator quondam cum exercitu cōstitit, vt audiret mulierculā atque Archesilaus rex interdū audire voluit raucos & inamœnæ vocis homines, quo audiens postea eloquentes, plus caperet oblectamēti. Memineritis illius Theophrasti sententiæ, apud maximos quosque & elegantissimos viros etiam rudes loqui posse, dummodo fide & ratione loquantur. Atq; ne quasi oscitātes vos auribus pēdere sinā; q̄bus vestigijs & indicijs veluti canibus hanc

narratam opinionem meam venatus deprehenderim, nunc proferam in medium: si modo id vos prius commonuero, scientias omnes tam malas esse quam bonas: nec aliam nobis supra humanitatis metam afferre deitatis beatitudinem, nisi illam forte, quam antiquus ille serpens pollicebatur primis parentibus, inquiens: Eritis sicut dij scientes bonum & malum. In hoc itaq; serpente glorietur, qui gloriatur se scire scientiam: quod probe factitasse legimus Ophitos hæreticos, qui serpentem in sacris suis colebant, dicentes ipsum in paradiso virtutis cognitionem induxisse. Astipulatur istis platonica historia, Theutum quendam humano generi infensum dæmonem scientias primũ excogitasse, non minus offensiuas quam vtiles, vt prudentissime disseruit ille totius Aegypti rex Thamus, de scientiarum ac literarum inuentoribus. Hinc est quod grammatici plerique dæmones quasi scientes exponunt. Sed esto, has fabulas suis poetis philosophisq; relinquamus, & nõ sint alij scientiarum inuentores quam homines: atqui illos scimus fuisse pessimæ generationis filios, filios inquam Cain, & de quibus vere dictum est: Filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione hac. Si itaq; nunc scientiarum inuentores homines sunt, nonne omnis homo mendax, nec est qui faciat bonum vsq; ad vnum? Sed esto, rursus sint homines aliqui boni, nihil scientiæ ipsæ bonitatis, nihil veritatis habebunt, nisi quantum ab ipsis inuentoribus, vel possessoribus mutuantur, vel acquirunt. Nam si in malum quempiã inciderint noxiæ erunt, illumque ex malo reddent deteriorem, vt peruersum grammaticum, vanilo quum poetam, mendacem historicum, rhetorem palponem, memoriographum ostentatorem, liti-

giosum'dialecticum, sophistam perturbatorem, liguacem Lullistam, arithmeticum sortilegum, lasciuum musicum, impudicum saltatorem, geometram iactatorem, consmographum erronem, architectum pernitiosum, nautam piratã, astronomum fallacem, magum flagitiosum, perfidum cabaleum, physicum somniatorẽ, portentosum metaphysicũ, morosum ethicũ, iniquũ politicũ, principẽ tyrannũ, magistratũ oppressorẽ, populũ seditiosũ, sacerdotẽ schismaticũ monachũ superstitiosũ, prodigũ œconomũ, mercatorẽ falsijuriũ, q̃storẽ pilatorẽ, segnẽ agricolã, pastorẽ ambigœum, piscatorẽ maledicum, venatorem latronem, militẽ prædonem, nobilem exactorem, medicum occisorem, pharmacopolam veneficum, coquum helluonem, alchimistam impostorem, iurisconsultum versipellem, causidicum mille scelerum protectorem, tabellionem falsarium, iudicem venalem, & e sublimi tribunali latronem, theologum hæreticũ & vniuersæ multitudinis seductorem. Nihil autẽ inauspicaciusquam ars, q̃ scientia impietate constipata, & malarum rerũ pernicioſissimus est maximus quisq; artifex & doctissimus autor. Quod si etiam in non tam malum, sed stultum aliquem incidant, nihil illo insolentius ac importunum magis, nam præter id quod illi de cognata stultitia superest, tuetur illum doctrinæ autoritas, habetq; literarum instrumenta quibus suã defendat amentiam quibus cæteri stulti carentes mitius insaniũt, quemadmodum de rethore ait Plato: Nam q̃ erit (inquit) ineptior, atq; indoctior, hoc plura narrabit, & imitabitur omnia, nihilq; se indignũ existimabit. Nil igitur exitialius q̃ cum ratione insanire: si quis autem vir bonus & sapiens illas possideat, fortassis bonæ erũt scientiæ ac reipublicæ vti

ses, possessorem aũt suum nihilo reddent beatiorẽ non enim (vt aiunt Porphyrius & Iamblicus) vȳborũ accumulatio disciplinarumq; multitudo beatitudo est, q̃ nec vllum insup prorõnum ac vȳborum q̃titate accipit incrementum: q̃d si ita esset, nihil prohiberet illos, q oẽs congregauerunt disciplinas esse beatos, hunc vȳo q his careat nequa q̃, essentq; philosophi sacerdotibus beatiores. Vera enim beatitudo non consistit in bonorũ cognitione, sed in vita bona, non in intelligere sed in intellectu viuere: neq; enim bona intelligentia, sed bona voluntas coniungit hoies deo, nec aliud efficiunt disciplinæ foris adhibitæ, nisi qa conditionẽ nobis quandã purgatoriã adhibent, ad beatitudinem aliqd conducentem, nõ tñ rõnem ipam qua nobis beatitudo compleat̃, nisi eis adsit & vita, in ipsam bonorũ translata naturã: sæpissime enim est cõpertum (vt ait Cicero pro Archia) ad laudẽ atq; vȳtutem naturã sine doctrina, q̃ doctrinã sine natura valuisse. Non igit̃ tã longa, tã difficili & vix vnq̃ pscrutabili (vt Auerroistæ contendũt) scientiarũ oim disciplina aim imbuere opus erit, q̃ ipse etiã Aristoteles beatitudinẽ ait valde cõmunem, et q̃ cuncti facile adipisci queant, p disciplinam quandam & diligentiã, q̃ scilicet ait faciem & quasi cõmunem facultatem contẽplandi obiectum oim nobilissimũ, s. deum: q qdem tã facilis et oibus cõmunis contemplandi actus nõ sylogizando & demonstrando perficit̃, sed credẽdo & colendo. Quæ ergo nunc scīarũ felicitas, q̃ sapientiũ philosophorumq; laus & beatitudo? quibus scholæ oẽs perstrepunt, resonantq; encomijs eorũ, q̃rum anias diris cruciatibus distrahi audiũt videntq; inferi: vidit hæc Augustinus & timuit, exclamans illud Pauli: Surgunt indocti & rapi-

ant cœlos, & nos cum scientia nostra mergimur in infernum. Quod si audendum est verum fateri, tanta est scientiarum omnium periculosa inconstansque traditio, vt longe tutius sit ignorare quam scire. Adam nunquam e beatitudinis paradiso pulsus fuisset, nisi serpente magistro didicisset scire bonum & malum. Et Paulus erciendos censet de ecclesia, qui plus scire volūt quam oportet. Socrates dum omnes ferme disciplinas perscrutatus esset, tunc primum ab oraculo sapientissimus omnium iudicatus est, cum se nihil scire palam fateretur. Tam est scientiarum omnium cognitio difficilis, ne dicam impossibilis, vt prius vita tota homines deficiat, quam vel vnius disciplinæ minima ratio perfecte inuestigari possit. Quod mihi hic affirmare videtur Ecclesiastes dum ait: Intellexi quod omnium operum dei nullam possit homo inuenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole, & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniat, etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

Nihil homini pestilentius contingere potest quam scientia, hæc est vera illa pestis, quæ totum a comne hominum genus ad vnum subuertit, quæ omnem innocentiam expulit, & nos tot peccatorum generibus mortique fecit obnoxios, quæ fidei lumen extinxit, animas nostras in profundas conijciens tenebras, quæ veritatem damnās errores in altissimo throno collocauit. Quare iam non vituperandi mihi videntur VALENTIANVS ille imperator (quem acerrimum literarum hostem extitisse aiunt) atque Licinius imperator, qui literas virus ac pestem publicam dictitabat, quin & Ciceronem ipsum fontem literarum abundantissimum, refert Valerius tan-

dem literas contempsisse. Tanta autem est veritatis ampla libertas, liberaq; amplitudo, vt nullius scientiæ speculationibus, non vllo sensuum vrgenti iudicio, non logici artificij argumētis, nulla probatione euidente, nullo syllogismo demonstrante, nec vllo humanæ rationis discursu possit deprehendi, nisi sola fide: quam qui habet, is ab Aristotele in priorum resolutionum lib. dicitur melius dispositus. quam si esset sciens, quod exponens Philoponus ait, id esse melius cognoscentem quam per demonstrationem quæ per causam fit. Et Theophrastus isuis trāsnaturalibus sic ait. Vsq; ad aliquid quidē possumus per causam speculari, principia a sensibus sumentes, quando autem ad ip̄a extrema & prima transierimus, non amplius possumus scire, siue quia non habemus causam, siue propter intellectus nostri infirmitatem. Et Plato in Timeo ait, q; illa explicare plus est, quam vires nostræ sufficiant, sed credi iubet ijs qui ante dixerunt, quanquam nulla demonstrationis necessitate loquantur, fuerunt enim Academici philosophi in precio, qui dixerunt nihil posse affirmari, fuerunt Pirrhonici, & alij multi, qui quidem nihil affirmabāt. Nihil itaq; præcipuum habet scientia, supra ip̄m crede, vbi videlicet probitas autoris mouet discipulorum liberam credendi volūtatem. Hinc pytagoricum illud præsumptum de magistro responsum, ipse dixit. Et Peripateticorū illud vulgatum prouerbium: Vnicuique perito in arte sua credendum est. Sic creditur grammatico de verborum significationibus. Credit dialecticus de parte orationis a grammatico accepta. Assumit a dialectico rhetor argumentationis locos. Poeta mensuras mutuat a musico. Geometra proportiōes sumit ab arithmetico. Astrologus vtrisq;

fidem dat. Deinde transnaturales coniecturis vtũ tur naturalium, & quisque artifex recte pręsumit de statutis alterius. Habet enim quæuis scientia certa quædã principia, quæ credere oporteat, nec vllo modo queant demonstrari: quæ si quis pertinacius negare velit, non habent philosophi illi q̃ contra illum disputent, moxq; dicent contra negantem principia non esse disputandum, aut ad alia quædam extra scientiæ metas relegabũt: vt si quis (dicunt) neget ignem esse calidum, proijci atur in ignem & quæratur ab eo quid sentiat, ita demum ex philosophis tortores fiunt & carnifices, dum volunt nos vi cogere fateri id, quod rationi debuerant docere. Proinde nil reipublicæ infensum ac pernicioſum magis quam literę, quam scientiæ, in qua si qui eruditione & scientia prædi ti sunt homines, eorum arbitrio veluti plus sapientium plurimum res geruntur, ac plebis simplicitate multitudinisq; imperitia freti, omnem magistratus autoritatem sibi soli vsurpant, vnde reipublicæ status a populari in oligarchiam migrat, atque exinde in factiones diuisa in tyrannidem facile transit, quam nemo vnquam vspiam terrarum obtinuisse legitur sine scientia, sine doctrina, sine literis, præter vnum L. Syllam dictatorẽ, qui solus sine literis rempublicam occupauit, in q̃ tamen literarum ignorantię vel hoc respublica maxime debet, q; tyrannidem sponte tandem deposuerit. Præterea omnes scientiæ, nil nisi decreta & opiniones hominum sunt, tam noxiæ quam vtiles, tam pestiferæ quam salubres, tam malæ quã bonæ, nusquam completæ, sed & ambiguæ, plenæ erroris & contentionis, atq; id nunc ita esse p singulas scientiarum disciplinas progrediendo ostendemus.

De literarum elementis. Cap. II.

NAm in primis quis non videt benedicendi artes, dico grammaticam, logicam, rhetoricam, quæ solum vestibula ac fores scientiarum sunt, non autem scientiæ, sæpe nō minus pestilitatis adferre quam voluptatis, quibus tamē nulla alia veritatis regula est, quam primorū quorumcunq; institutentium placita atq; voluntas, quod ab ipsis vsq; literarum inuentis, quæ prima artium illarū elementa instrumentaq; sunt plenissime constat: quarum primæ fuerunt Chaldææ, inuentore Abrahamo, vt ait Philo, quibus Chaldęi Assyrij, & Phœnices vsi sunt, sed sunt qui aiunt Assyrijs primum literas dedisse Rhodomantum. Post has Moyses literas tradidit Iudæis, forte nō qdem his characteribus quibus hodie vtuntur q̄ inuentum putant Ezræ, quē omnium fere veteris instrumenti librorum scriptorem existimant. Porro quidam Linus Chalcides literas ex Phœnice tulit ad Græcos, sed Phœniceas donec Cadmus Agenoris filius alio charactere illis nouas literas daret numero sexdecim, qbus Troiano bello quatuor addidit Palamedes. Postea totidem Simonides Melicus. Aegyptijs autem primum scribendi vsum tradidit quidam nomine Mennona per animalium effigies, vt in obeliscis cernitur, sed literas illis primum dedit Mercurius, ille videlicet quem Lactantius ait quintum Mercurium fuisse, cui Vulcanus Nili filius successit in regnū. Latinis vero literas tradidit mulier Nicostrata cognomento Carmente. Septem itaque literarū genera antiquitus præcellebant, Hebræa, Græcæ, Latinæ, Syriæ, Chaldææ, Aegyptiæ, & Geticæ, de quibus in peruetusto codice hos sequentes versiculos sese legisse refert Crinitus,

Moyses primus hebraicas exaruit literas.
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas,
Quas Latini scriptitamus edidit Nicostrata,
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas,
Isis arte non minore protulit Aegyptias.
Galfila prompsit Getarū quas videmus vltimas
Cæteræ vero gentes & barbaræ nationes recentiori
bus temporibus nouas lras inuenerunt. Nam Go
this Gordanus episcopus literas dedit, & antiq
Franci q sub Marcomiro & Pharamundo Gal-
lias deuicerunt, suos habuere literaꝝ characteres
a Græcis paꝝ distantes, qbus VVastaldus eoꝝ
patrio sermone descripsit historiam, sed inuentore
illaꝝ literaꝝ incerto: extant etiã aliæ Francorum
literæ quarum inuẽtor quidam noĩe Doracus, sed
a VVastaldi charactere longe diuersæ, & adhuc
aliæ inuentore Hicho Franco, q cũ Marcomiro
ad ostia Rheni venit e Scythia. Quin & Beda ali
quas descripsit, sed incerto inuentore, aliquorum
Normannorũ literas. Et multæ aliæ gentes simili
modo vel nouos sibi literarũ characteres cõstitue
rũt, vel ab antiqs acceptos pro parte aut imuta-
runt aut corruperunt, vt Dalmatæ Græcas, & Ar
menij Chaldæas, at Gothi Longobardiq latina
rũ literaꝝ characteres dehonestauerunt. Multæ
p̃terea antiquæ lræ perierunt, sicuti veterũ Hetru
scorũ, q̃ tñ olim Plinio Liuioq testibus magno in
p̃cio fuerunt apud Romanos, & adhuc cernunt̃
in antiquis monumentis harum effigies, sed peni
tus incognitæ: nam Romanis olim orbem terra-
rum vastantibus, absoletis antiquis, & cuiusque
nationis proprijs, suarum vsum literaꝝ illis vio-
lenter imponebant. Sic Hebræorum literæ sub ca
ptiuitate Babylonis perierunt, et lingua eorum a
Chaldæis corrupta est. Sic antiqua Germanorũ,

Gallorum, Hispanorum, & aliarum nationum terræ introductis Romanis characteribus pierũlt linguæq; earum gentium corruptæ, & immutatę sunt. Contra Romanorum literæ & lingua a Gothis, Longobardis, Francis, alijsq; barbaris gentibus viceuersa corrupta sunt, & immutata, neq; enim latina lingua eaipsa est hodie quæ olim, & de Hebræa lingua & charactere inter ipsos thalmudistas non modica dissentio est, nam Rabi Iehuda ait protoplastum Adamum Aramæo idiomate locutum: Marsutra ait, traditã a Mose legem charactere qui dicitur Hebræo, idiomate vero sancto, quæ ab Esdra in Aramæum idioma Assyriosq; characteres mutata, paulopost characteres retinens Assyrios, sanctum idioma resumpsit, Hebræo charactere cum Aramæo sermone relictis Chusi, hoc est, ijs qui simul legem susceperunt & idola colunt. vt Samaritæ. Alij dicunt nõ alijs a primordio quam nunc characteribus scriptam fuisse legem, propter præuaricationem autem aliqñ mutatum fuisse characterem, sed post pœnitentiam restitutum: Rabi Simon, Eleasaris filius & sermonem & characterem nullo tempore mutatum putat, adeo de hebraicis ne apud ipsos Hebræos quidem aliquid habetur certi, atq; hæc est temporũ vicissitudo, vt nullæ sint literæ, nullæ linguæ quæ hodie formam antiquitatis suæ agnoscant aut intelligant.

De grammatica Caput III.

AT ex his tã incõstantibus & ad oẽ tẽpus mutabilibus principijs, literaꝝ dico & linguaꝝ, prior Grãmatica, deinde cæterę, q̃s diximus bñdicendi artes prodiere, nã cum paꝝ visum esset lr̃as scire, nisi certo gradu forma

que iungerent, atq; ex lris syllabæ, ex illis tandem ꝟba & dictiones formarent, sibiq; ad intelligentiã sermonis iungerent: ausi sunt ingenioſi hoies loquendi regulas videlicet constructus, regiminis, & significatoꝝ ponere, ac velut linguæ frenũ injicere: vt qcqd secundũ illas diceret, bñ dictũ esset, essetq; ars bñdicendi, vocaruntq; artẽ hanc grãmaticã. Eius inuẽtor apud Græcos, primus tradit Prometheus, Romã primus intulit qdam Crates Mallotes, missus ad Senatũ ab Attalo, inter secũdũ & tertiũ bellũ Punicũ, q; postea magno fastu professus est Palemõ, adeo vt nomẽ artiindiderit vocaturq; grãmatica ars Palemonia, vir admodũ arrogãs, vt iactaret secũ & natas lras & interituras, tamq; supbus, vt oẽs æui sui doctissimos viros cõtemptui haberet, etiã ipm M. Varronẽ porcũ appellare ausus sit. Verũtñ ipsa latina grãmatica tã egena est, ac Græcæ literaturæ obnoxia, vt q hanc nõ calleat, is e grãmaticoꝝ numero protinus sit ejciendus. Ois itaq; literaturæ seu grãmaticæ rõ non nisi in solo vsu maioꝝ, autoritateq; consistit, qbus placitũ est, ita rẽ vocari sicq; scribi, verbaq; sic & sic cõponi & cõstrui, qd ipsi tunc bñ dictum vocant. Vñ Grãmatica se recte loquendi artẽ iactat, sed falso, cum idipm longe melius discimus a matribus, aut nutricib. mulierculis, q; a grãmaticis. Gracchoꝝ linguam (q elo quẽtissimi sunt habiti) matr Cornelia formauit, Silẽ Aripithis Scythiæ regis filium Istrina mater græcam linguam docuit. Notum est in multis prouincijs exteraꝝ gentiũ colonias inductas, natos filios matrũ sermonẽ semp tenuisse. Hic Plato at q; Quintilianus de deligẽda pueris nutrice idonea tam solicite statuerunt. Absit ergo, vt hanc recte loquendi rationem ab illis in grammatistas trãs-

feramus, q cū nihil præter vnā grāmaticam profiteantur, nihil sciunt minus. Siquidem Priscianus hanc ne toto vitæ suæ tempore discere potuit, & Dydimus de ea quatuor, siuevt alij dicūt sex milia librorum scripsisse perhibetur. Legimus Claudium Cæsarē ita fuisse grecisliteris deditū, vt tres literas nouas illi linguæ adinuenerit, quas postea princeps non omisit. Et Carolus ille magnus Germanicæ linguæ grammaticam commentus est, mensibusq; ac ventis noua nomina indidit. Et in hunc vsq; diem, dies nocteſq; laboratur, scribuntur commentaria, elegantiæ, quæstiones, annotationes, scholiæ, obseruationes castigationes, centuriæ, miscellanea, antiquitates, paradoxa, collectanea, additiones, lucubrationes, iteratæ ac reiteratæ editiones. Atq; interim pariuntur nobis totidem grammaticę quot sunt grammatici. Neque tamen quispiam illorum siue græcus siue latinus fuerit, rationem reddidit quomodo orationis partes distinguendæ sint, quis illarum in constructione seruandus ordo: an quindecim dunta xat sint pronoia, vt sentit Priscianus, an plura, vt Diomedes & Phoca, voluerūt: an participiū p se se positū remaneat aliqñ participiū. Vtrū gerundia noia sint, an ῥba. Cur græcis neutri gñis pluralia noia cū ῥbo singularis numeri coniunganť. Qua ratione liceat a Latinis noia t̄minata ia & ius proferre in vm, sicut pro margarita margaritū, pro pūctus punctū. Quōntūs Iupiter, producat genitiū Iouis. Atq; qua ratione ῥba neutralia aliq admittūt aliq excludunt. Cur pleraq; latinas dictiones aliq cum græca dipthonga scribunt, aliq non, vt fœlix, q̄stio. Atq; an latinę æ & œ dipthongi scribanť tātum, & nō proferantur, aut ambæ vocales sicut scribunt: itaita sub vna syllaba exprimanť. Similiter curin latinis plærisq; vocabulis, aliq y græ-

to, alīi latino solūmodo vtantur, sicut in cōsideto. Item cur in aliquibus quidam duplicant litteras quidam non, vt in causſa, relligio. Cur caccabus, cum habeat primam syllabam positione geminati cc productam, nihilominus a pleriſque poetis vt plurimum corripiatur. Item vtrum Ariſtotelis anima ſcribi debeat endelechia per delta vel entelechia per tau. Prætereo infinitas & nunq̄ ceſſaturas eorum contentiones de accentibus, de orthographia, de pronuntiatione literarū, & figuris, de ethymologijs, analogijs, deque cæteris præceptionibus & regulis, & inflexionibus & modis ſignificandi, de mutatione caſuum, varietateque temporum, modorum, perſonarum, numerorum, deque varijs impedimentis, & ordine conſtructionis. Denique de ipſo literarum latinarum numero, ac genealogia: & vtrum H ſit litera, nec ne, & huiuſmodi plura. Ita non ſolum in dictionibus & ſyllabis, ſed & in elementis nulla ratione reddita ſe inuicem diſſentiunt. Cuiuſmodi pugnam Lucianus Samotenſis de S & T conſonantibus lepidiſſimo libello deriſit, cuius exemplum eſſe poteſt in thalaſſa & thalatta. Quidam etiam Andreas Salernitanus de ea re grammaticale bellum ſtudioſa facundia deſcripſit. Sed pauca & modica hæc ſunt. Plura & maiora de nominū deprauatis interpretationibus dicere poſſemus, quibus vniuerſo orbi plurimum imponunt. E quibus primum in republica non minima mala procedunt, dum legibus ſubijci ſeruitutem exponunt, ciuium autem libertatem interpretantur eam, vbi vnicuique licet quodlibet, ac iſonomiam, hoc eſt, iuris æqualitatem dicunt vbi omnibus indiſcretim, idem ius, idē honos, idem p̄mium. Simili modo tranquillum imperium aiunt, vbi omnia principis libidini obſecundant: feliciſſi-

mum, vbi populus luxu defluit & otio. Similibus que admodum multis, & medicina, & leges, & canones corruptæ, sunt expositionibus, quibus cogunt ipsas etiam sacras literas, ipsumq; Christum a se dissentire: contorquentes illas, non ad sensum spiritussancti, nec ad communem hominum salutem, sed ad suum ipsorum compendium. Ex qua re sæpe grauissima imminerunt pericula, vt solet error in vocalibus errorem parere in rebus. Cuius modi deceptus quondam rex primus Hebræorũ Saul in verbo Zobar, quod & masculum significat & memoriam: cum dixisset deus, delebo memoriam Amelech, ipse Saul putabat si mares abstulisset, se satisfecisse præcepto. Contigit & Græcis & Italis similis error in verbo Phos, quod et hominem significat & lumen. Vnde quõdam saturnalium cultores, verbi ambiguitate decepti, hominem quotannis Saturno immolarunt, dũ illum accensis luminibus æque placare potuissent. Quæ gens tam stulta, tandem Hercule magistro resipuit. Tandem etiam theologi, & fratres cucullati, sese grammaticis inferentes, de verborum significationibus, cum multis hæresum appendicibus digladiantur, euertentes scripturas occasione grammaticæ interpretes mali effecti eorum quæ bene dicta sunt: homines vani, & vere infelices, per artem suam semetipsos excæcantes, fugientes lumẽ veritatis: & dum virtutem dictionum curiose nimis scrutantur, sensum scripturarum nolunt intelligere: sed nuda vocabula tenentes circa illa morantur, subuertentes, & amittentes verbum veritatis. Sicut narratur de sacrificulo illo, siue verum siue fabula sit, qui cum plures haberet hostias, ne in grammaticam committeret, in hæc verba consecrauit: hæc enim sunt corpora mea. Vnde nã or

ra est illa Antimantarum & Fluidianorum execranda hæresis diuæ Christi matris perpetuã virginitatem negantium, nisi ex hoc vnico vocabulo donec, vbi legitur in euãgelijs, quoniam Ioseph non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum. At quantam latinæ cũ græca ecclesia contentionem concitarunt duę illæ minimę dictiones ex & per, Latinis asserentibus spiritum sanctum procedere ex patre & ex filio, Græcis autem dicentibus non ex filio, sed ex patre per filium. Quantas rursus tragœdias mouit dictio illa, nisi, in concilio Basilien. Bohemis vtriusq; speciei communionem necessariam adfirmãtibus, qæ scriptum sit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vnde nam illa Valdentium & sequacium, recentiorumq; circa Eucharistiam hęreses, nisi ex illa dictione, est, quam illi symbolice ac significatiue duntaxat dictam volunt, tropũque subesse verbis, Romana ecclesia illam essentialiter exponente. Sunt adhuc aliæ grammaticorum pernicioſæ hæreses, verum tam occultæ, tãq; subtiles, vt nisi Oxonienses acutissimi Anglorũ theologi, atque Parhisiensium sorboniſtæ, linceis oculis has perspexissent, magnisq; figillis condemnassent, vix aliquis posset præcauere. Eiusmodi sunt, si quis æque bñ dictũ senserit: Chrs p̃dicas, Chrs p̃dicat. Ego credis, tu credit, Credẽs est ego. Itẽ q; verbũ manens verbum, potest priuari oĩbus suis accidentibus. Item q; nullum nomẽ est tertiæ personæ & his similia. Quę profecto si hęretica dici debeant, hæretici erunt imprimis prophetę Esaias & Malachias: quorum vterq; inducit deum de seipso loquentem, prior ad Ezechiam his verbis: Ecce ego addet super dies tuos &c, non enim di-

cit addam, sed addet. Alter sic, & si domini ego? vbi est timor meus? quo in loco facit deum plura tiue se appellare dominos, sed multo magis hæretici erunt omnes, qui nunc per vniuersum Romanum orbem habentur theologi, quatenus vniuersam orthodoxæ ecclesiæ doctrinam nouitate pronunciationis contra omnem grammaticorum artem ac vsum ad confictas voces, monstrosa vocabula, & perplexa sophismata protraxerunt, ausi insuper docere theologiam ipsam incorrupto sermone tradi non posse. Sūt infinita horum similia, & miserandum est, ætate nostra quantas contentiones & errores moueant pertinaces grammatici, & superbi sophistæ, suis peruersis vocabulorū interpretationibus, dum alij ex verbis colligunt sententias, alij contra ex sententis colligunt verba. Hinc in medica arte, in vtroque iure, in philosophia & theologia, cæterisque facultatibus literarum, infinitæ contentiones, erroresque quotidie insurgunt. Nihil enim demonstrant Grammatici, sed solis nituntur autoritatibus, quæ sæpissime inter se tam variæ sunt atque discordes, vt necessarium sit plurimas illarum esse mendaces, quarum præceptionibus qui maxime confidunt, hi recte loquuntur omnium minime. Omne enim sermonis ius non apud grammaticos, sed penes populum existit, & vulgari consuetudine benedicendi vsum sortitur. Latini autem sermonis vigor postq̄ inualescentibus barbaris apud populum esse desierit, eius ratio tamē non a grammaticis, sed idoneis & doctis scriptoribus, vti a CICERONE, Catone, Varrone, vtroque Plinio, Quintiliano, Seneca, Suetonio, Quinto Curtio, Tito Liuio, Salustio, similibusque est petenda: quos penes solos restant antiquæ dilitiæ latinita-

tis vsusque recte loq̃ndi, nõ apud grammaticos literatores, qui suis regulis de verborũ & casuum inflexionibus, compositionibus, & deponentijs, ipsi latinitati plurimum imponunt, ac talia sæpissime construunt vocabula, q̃ fas nõ sit homini latino vsurpare, nisi forte Parrhisiẽsis sorbona inter articulos referat. Si qs dicat de vitate sermonis latini fidẽ grãmaticis non habendã, atq; tñ hi literatores grammatici sese solos scriptorũ omniũ censores, iudices & interpretes cõstituunt, ac autores omnes libroscq; in ordinem redigere, aut e canone submouere sibi arrogant: nullus vnq̃ tam excellẽtis ingenij autor extitit, qui maledicam istorũ linguam euaserit, quem non taxauerint, aut in quo non plurimum culpauerint. Criminantur in Platone confusionem, & ordinem desiderãt, de cuius vitijs Georgius Trapezuntius libros composuit, qui ab alijs idcirco Conotimon & Etinym vocatus est, vt narrat Crinitus. Quærunt in Aristotele dilucidam perspicuitatem, arguunt tenebrosam eius obscuritatem, & sepiam vocant: taxant Vergiliũ, vt paucí ingenij, & compilatorem, alioq; vsurpatorem, criminãtur. Tullio nõ satisfacit Demosthenes, & ille summus latinorũ rhetor a Græcis repetundarũ petit, & multis notis accusat, timidus, superfluus in repetitionibus, frigidus in facetijs, lentus in principijs, ociosus in digressionibus, raro incalescens, tarde assurgens: quin & a nostris etiam reprehensus, a M. Capella tanquã turbato numero locutus, ab Appollinari flaccidus & supinus notatus est: iãq; etiã Liuianas orationes Trogus proficitis damnat, & Horatio nõ placet Plautus, idem ab incomopsitis versibus damnat Lucilijũ, vt turbidũ flumẽ nullis bene digestis, multa dicitur inuoluere Plinius, nimium fertur indulgere

genio Ouidius, ab Asinio Pollione pro affectatore reprehenditur. Salustius furto & aliena prorsus recitasse, & a Labeone & Scipione adiutus arguitur. Trentius Seneca calx siue arena vocatus est quem his verbis taxat Quintilianus, si nullū æqualium contempsisset. si partim non concupisset. si non sua omnia amasset, si rerum pōdera minutissimis sententijs non fregisset, sensus potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur: sed & M. Varro porcus appellatus est, et Ambrosius cornicula & fabulator nuncupatus. Macrobius homo eruditissimus impudentis & ingrati ingenij taxatus: & abs Laurentio Valla grammaticorum omnium eruditissimo nullis eorum q vnq̄ latine scripserunt indultū est, & illū laniauit Mancinellus. Erat olim inter grammaticos de lingua latina benemeritus Seruius, & hūc impugnauit Beroaldus, tandem & hunc posteriores grammatici veluti barbarum omnino auersantur. Sic grāmatici omnes alter in alterū furere soliti sunt, denicq; horum opera factum est, vt sacræ scripturæ traductio correctionis præte xtu, toties immuta ta iam tota a seipsa dissonet, horum censuris de Apocalypsi Iohannis apostoli, de epistola Pauli ad Hebræos, de epistola Iudæ & alijs plerisq; noui testamenti capitulis diu dubitatum est, quin et euangelia ipsa ad problemata reuocare conati sunt, sed iam ad poetas.

¶ De poesi. Caput IIII.

POesis ipsa, autore Quintiliano, altera grammaticæ pars est, hoc ipso non modicum suppa, q olim theatra & amphitheatra augustissima hominum ædificia, non philosophis, non iurisconsultis, non medicis, non rhetoribus, non mathematicis, non theologis, sed ipsis

poetarum fabulis ingentibus sumptibus extructa sunt. Ars non in aliud inuenta, nisi vt lasciuientibus rithmis, syllabarum numeris, ac pōderibus, nominumq; inani strepitu, stultorum hominū aures demulceat, ac fabularum oblectamentis, mendaciorumq; centonibus decipiat animos. Quocirca architectrix mendaciorum & cultrix peruersorum dogmatum dici meruit: atq; vt quod ad furorem, & temulentiam, & impudentiam, & audaciam attinet, illi condonemus, certe interritam illam mentiendi fiduciam quis æquo animo ferret? quem enim angulum insanis nugis fabulisq; relinquit vacuum? Iam enim ab ipso chaos faciens exordia fabularum narrat cœli sectiones. Veneris partus. Titanum pugnam, Iouis incunabula, Rheæ fraudes, & lapidis suppositiones, Saturni vincula, gigantum rebellionē, Promethei furtum atque supplicium, Delí errores, Latones labores, Pytonis cædem, Titij insidias, Deucalionis inundationes, hominumq; ex lapidibus ortum, Iachi dilaniationes, Iunonis dolum, Semeles conflagrationem, Bachi vtramq; stirpem, & quæcunq; de Minerua, Vulcano, Erichthonio, Borea, Orichia, Theseo, Aegeo, Castore, Polluce, raptu Helenæ, & morte Hippolyti, in fabulis Atticis referuntur. Præterea errationem Cereris, raptam & inuentā Proserpinam, & quæcunq; de Minoa, de Cadmo, de Niobe, de Pentheo, Attæo, Oedipode, de Herculis laboribus, de Solis & Neptuni pugna, Athamantis insania, de Io in vaccam mutata, & eius custode Argo a Mercurio perempto, & quæ de vellere aureo, Pelia, Iasone, Medęa: Itē de Agamennonis morte, & Clitemnestræ supplicio, & q̄ de Danae, Perseo, Gorgona, Cassiopea, Andromeda, Orpheo, Oreste, de Aeneæ et Vlyssis errori

bus, de Circe Thelagonio, & Aeolo, Palamede Nauplio, Aiace Daphne, Ariadne, Europa, Phedra, Pasiphae, Dedalo, Icaro, Glauco, Atlante, Gereone, Tantalo, de Pana, Centauris, Satyris, Sirenibus, et reliquis huiusmodi insignibus mendacijs memoria prodidit. Nec iterim humanis rebus contenta, ipsos denicq; deos in fabularū suarū partem vocat, eorū ortus, interitus, lites, iurgia, odia iras, prælia, uulnera, lamentationes, vincula, amores, lenocinia, libidines, fornicationes, adulteria, cum hominibus & bestijs concubitus, & quæ his absurdiora & nephanda magis, venenosis verborum leporibus, & noxia carminis suauitate texens, non præsentes tantum fallit ac inficit, sed furiosa hæc venefícia, pulchris versiculis, metrisque seruata, etiam posteris comunicat, & tanquā rabidi canis morsu quoscunq; dogmatibus suis mē dacijsq; semel infecerit, consimili rabie furere compellit. Tanta enim arte mendacia eius confícta sunt, vt non raro veris præiudicent historijs. Quēadmodum de ementito Didonis cum Aenea adulterio, atq; capto a Græcis Ilio manifestum est. Sunt tamen qui ad tantum insaniæ furorem deuenerint, vt illi nonnullas diuinitatis sortes ineſſe putēt, qa dęmones olim poeticis versiculis responsa dederunt: hinc illos prophetas ac vates, diuinoq; spiritu afflatos vocāt, ac poetarū nugacissimis versiculis tanq̄ oraculis ad diuinandū vtuntur. Hinc apud priscos sortes Homericæ cognominatæ sunt ab Homeri versiculis: sicut a Vergilij carminibus sortes Vergilianæ, quarū i vita Hadriani meminit Spartianus. Quæ superstitio hodie & ad sacras literas, & psalmorum versiculos translata est, etiam non improbantibus plærisq; nr̄ę religionis magistris nostris, Sed ad poesim reuertamur.

hanc Augustinus a ciuitate dei exulare iubet, ethnicus Plato a sua republica expellit. Cicero admitti vetat. Socrates admonet, si cui fama maxime curæ est, illāq; seruare cupiat illæsā, is caueat ne poetam aliquem inimicum habeat, qa non tā magnam in laudando, q̄ in maledicendo & vitu perando vim habent. Minos rex iustissimus abs Hesiodo & Homero celebratus, quia Athenien sibus bellum intulit, tragicos poetas in se concita uit, qui illum apud inferos relegarunt. Penelopem abs Homero singulari pudicitia illustratam Licophron aliquot procis concubuisse scribit. Didonem Carthaginis conditricem continentissimā viduam, Ennius poeta Scipionis gesta decantans primus Aeneā adamasse finxit, quē tñ ex ratione temporum vidisse vnq̄ non potuit. q̄d mendaciū Vergilius deinde sic adornauit, vt pro vera credi tū sit historia. Tandē eo vsq; hęc mentiēdi licētia maledicē dicq; improbitas processit, vt necesse fuerit legē illis p cēsores p̄scribere, qua eiusmodi poetas probra atq; mēdacia reprimerent. Sed et apud priscos Roma. ipsa poesis palā probro habebat, atq; adeo, vt (Gellio et Catone testibus) q in illa studeret, publicus grassator vocaret: qn & a M. Catone ob id taxatus fuit Q. Fuluius, q̄d procōsul missus in Aetholiā Enniū poetā secū assūpsit. Et imp̄ator Iustinianus illius professores nulla prorsus immunitate dignat. Homerū etiā quē omniū poetas philosophū, & oīm philosophos poetam vocant, veluti insanientem, quinquaginta drachmis Athenienses mulctauerunt: et Tichteū poetam veluti mentis inopem deriserunt: quin et Lacedæmonij Archilochi poetæ libros e ciuitate sua exportari iusserunt. Sic poesim ipsam probissimi quique tanq̄ mendaciorum parentē asperna

ti sunt, poetis adeo monstrose mentientibus: quippe quibus studiū est nihil sani dicere aut literis prodere, sed cum sarcinatis versiculis, stultis auribus, cantillare, & fabularū inuolucris perstrepere, & super fumo machinari omnia, sicut alicubi cecinit Campanus.

Viuunt carmine insani poetæ.
Si nugas adimas, fame peribunt.
His mendacia sunt opes & aurum
Fingunt quæq; volunt, putantq; palmam
Mentiri bene gloriosiorem.

Sunt præterea apud poetas acerrimæ contentiones, non solum de carminis, charactere, de pedibus, de accentibus, de syllabarum quantitatibus: nam de ijs etiam triuiales quiq; grammatici cō certant: sed de ijs ipsis suis nugis, figmentis atque mendacijs, vtputa de nodo Herculis, de casta arbore, de literis hyacinthi, de filijs Niobe, de arboribus apud quas Latona Dianam peperit. Item de Homeri patria deq; eius sepulchro, atq; vtrum Homerus an Hesiodus ætate superior sit, an Patroclus antiquior Achille, q̄ corporis habitu Anacharsis Scytha dormierit, cur Homerus non honorauit carmine Palamedem, vtrum Lucanus inter poetas aut historicos reponendus sit. Itē de furtis Vergilij, & quo anni mense mortuus fuerit, et quis.

Exiguos elegos immiserit autor
Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Omnia autem poetarum carmina plena fabulis sunt, non nisi sub adulationis, aut detractionis pessimorum virorum prætextu ad stultorum delectationem decantata. Quicquid agunt poetæ, narrent, laudent, inuocent, fabulis suis adulantur. Rursus inuehant, mordeant, accusent, fabulis deba-

chantur, semper vero insaniunt. Recte igitur Democritus hanc non artem, sed insaniam vocat. Et Platonis sententia est: frustra poeticas fores compos sui pepulit. Tunc siquidē admiranda canunt poetæ quando videlicet insaniunt, aut temulenti sunt. Hinc Augustinus poesim vocat vinum erroris, ab ebrijs doctoribus propinatum. Hieronymus eam dæmonum cibum appellat. Ars insuper pertenuis & nuda quæ per se quidem tota insulsa res est, nisi alia quauis disciplina vestiatur condiaturque, ars esuriens semperque famelica, & tam quam mures alienum panem comedens, atque tamen nescio quam inter nugas & fabulas cum Tithonis cicadis, Lyciorum ranis, & Myrmidonū formicis, polliceri audet immortalem gloriam nominis ac dicere:

Viuite felices si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnq̄ memori vos eximet æuo.

quæ reuera, aut nulla est, aut nihil profutura, sed hoc munus dicent historici non poetarum, sed sum esse.

De historia. Caput V.

Est autem historia rerum gestarum cum laude aut vituperio narratio, quæ magnarum rerum consilia, actiones, exitus, regumque & magnorum virorum actus, cum temporum et locorum ordine ac descriptione, tanquam viua q̄dam pictura ante oculos exponit, ideoque hanc tanquam vitæ magistram & ad eius institutionē vtilissimam censent ferme omnes, eo quod multarum rerum exemplis cum optimos quosque ob laudis nominisque immortalem gloriam, ad præclara quęque facinora accendat: tum quod impios quosque ac prauos perpetuæ infamiæ metu, a vitijs deterreat: quamuis res hæc sæpissime in di-

tersum cesserit, & multi quod Liuius dixit de Mã lio capitolino malint esse famæ magnæ quam bo næ, & plerique quod virtutibus nequeũt, sceleribus innotescere volunt, inscribique historijs, quemad modum de Pausania Macedone adolescente Phi lippi regis parricidio illustri ex Trogo recitat Iu stinus, atq; de Herostrato (q Dianæ Ephesinæ tẽ plum opus omnium præclarissimum a tota Asia annos ducentos ædificatum incendit) narrãt Gel lius, Valerius, atq; Solinus. Et quanq; seueriſſimis legibus cautum fuerit, ne quis hominem illum vo ce scriptoue nominaret, finem tamen, cuius gra tia perpetrauit scelus, adsecutus est: fama videli cet & nomine eius per tot secula ad nos vsq; dedu ctis: sed ad historiam reuertamur. Hæc cum maxi me omnium rerum seriem, fidem, consonantiam, veritatẽq; exposcat, illa tamen minime omnium præstat, tam inter se dissentiunt historiographi, tã varia & diuersa de eisdem tradũt, vt impossibile sit, plurimos illorum non esse mendaciſſimos: non dico solũ de principio mundi, de diluuio vniuersa li, de vrbe cõdita, a quibus exordijs res gestas sese scribere profitentur, cum primum illorum omnes ignorent, alterũ non omnes credunt, tertiũ penes eos incertum sit. Quare cũ hæc remotissima sint, nec æqua ratione ab omnibus recepta, habeãt er ratorum illorum veniam. Sed de posterioribus tẽ poribus haud poterit illis non imputari mendaci orum culpa, causæ autem tantæ illorum dissonan tiæ multæ sunt. Nam plerique eo quod narratorũ temporibus, locis, personis, gestis, non adfuerunt, ex aliorum relatu populares sermones colligẽtes, nihil certum, nihil constans scribunt, quo vitio a Strabone taxantur Eratosthenes, Metrodorus Sce ptius, Possidonius, & Patrocles geographus. Sunt

alij qui cum partem rerum viderint, quasi in transitu militari, aut prætextu votorum mendici, per xenedochia, prouincias transcurrentes, conscribere audent historiam cuiusmodi quondam Onosicritus & Aristobolus scripserunt de India. Sunt qui delectationis causa rebus veris nõnihil admẽtiuntur, sæpe etiam veritatem omittentes, de quo Herodotum notat Diodorus Siculus, ac Trebellium Liberianus & Vopiscus, atque Tacitum Tertulianus & Orosius, in quorum numerum etiam Danudem & Philostratum reponemus. Sunt etiam qui res veras ad fabulas conuertunt, quales GNIDIVS, Cresias, Hecatæus, & plures alij antiquorum historici. Sunt & multi qui impudenter historiographum nomine se iactantes, ne videantur quicquam ignorare, aut aliquid aliud ab alijs retulisse, dum de ignotis & inaccessis prouincijs verbosa nouitate scribere præsumpserunt, nihil nisi elegantes nugas & monstrosa mendacia tradiderunt. Cuiusmodi ea quæ de Arimaspis, gryphis, Pigmeis, & gruibus, ac de Cynocephalis & Astromoris, Hippopodibus, Phanisijs, Troglodytis, legimus, quoræ erroribus proximi sunt qui sub arctico mare congelatum affirmarunt, atq; tamen inueniunt stultos & sine iudicio homines, qui illis talia credant, ac pro oraculis habeant: at ex horum numero sunt Ephorus, q vnam duntaxat ciuitatem esse Hiberos tradidit cum illi tantam Hesperiæ partem inhabitare noscantur. Et Stephanus græcus qui Francos Italiæ populos, & Viennã oppidũ esse Galilææ pro Galatiæ dixit. Et Arrianus græcus, qui Germanorum sedes non procul ab Ionio asserit, quibus accedit et Dionysius in his quæ falso tradidit de Pyrenæis montibus. Præterea quæ Cornelius Tacitus Mar

cellus, Orosius, Blondus de Germaniæ locis dissẽ runt, magna ex parte a varietate discrepãt. Similiter falso scribit Strabo Istrũ, hoc est, Danubium non procul ab Adriatico oriri, & Herodotus eundem ab Hespero fluere, & apud Celtas, qui omnium in Europa extremi sunt, oriri & ad Scythiã ingredi, & iterũ Strabo Lapũ ac visurgã fluuios ad Hanasum ait deferri, cum Lapus Rheno misceatur, Visurgus autem mari exoneretur. Sic & Plinius Mosam fluuium in oceanum properare tradit, cum se nõ oceano sed Reheno immergat. Consimilibus erroribus ex recentioribus historicis ac geographis, Sabellicus Alanos ab Alemanis falso deducit, & Hungaros ab Hunnis falso deriuat quin Gothos & Getas Scythas ait, & Danos cũ Dacis confundit, ac diuæ Ottiliæ montem in Bauariam locat, cum nõ procul sit ab Argentorato, Volaterranus etiam Austeraniam & Austriam, Auaros & Sauaros, Lucernam quoque & Nansium confundit, & Plinium dicit Bernensium Heluetiorum mentionem fecisse, cum illi longe posterioribus temporibus a Bartholdo duce Zaringiorum primum conditi fuerint. Similiter Conradus Celtes Dacos eosdem cum Cimbris existimat, & Cheruscos eos q̃s Ceruscos, qn & Ryphæos mõtes in Sarmatia sitos putat, & electrũ gummã ex arbore defluentẽ tradit. Sunt & adhuc alij inẽ historicos longe maiorẽ mendacioꝝ culpã habẽtes, q cum aut rebus interfuerũt, aut aliter res ipsas vt sunt, vel gestæ sunt cognouerũt: tamen bñ uolentia & obsequio victi suis adulantes, cõtra fidẽ falsa confirmant. Sunt ex istis q ad accusandas aut defendendas alienas causas, historias narrare aggressi, ea sola quę suo argumento cõducunt narrantes, cætera vero dissimulantes, prætereuntes

aut extenuantes: mancas & corruptas historias scribunt, de quo vitio Blondus taxat Orosium, ꝙ ingentem illam Italiæ cladem, qua Gothi Rauennam, Cãdanum, Aquilegiam, Ferrariam, ac totam fere Italiam diripuerunt, conticuerit, suum ne attenuaret propositum argumentum. Sunt p̃terea qui metu aut simultate aut odio aliquorum corrupti detrahunt veritati. Alij dum suorum gesta extollere cupiunt, aliorum patrata extenuant & in humilitatem deijciunt, scribuntq; non quod est, sed quod cupiunt, quod volunt, quodq; lubet, confidentes non defuturos mendaciorum suorum comites atque patronos, testesq; eos quibus egregie palpati fuerint. Quod vitium antiquitus Græcis scriptoribus familiare erat, hodie vero ferme oīs natiõis Chronographi eo ipso laborãt, vt Sabellicus & Blondus in rebus Venetorum, Paulus Aemilius ac Gaguinus in gestis Francorum, q̃s non ob alium fructum alunt principes, nisi q̃d ait Plutarchus, vt famulante ipsis bono ingenio, virtutem alienis meritis suffocantes, illorum facta nugis ac figmentis pro historica maiestate attollant. Sic Græci historici de rerum inuẽtoribus scribentes, omnia sibi, sed non sua vindicare voluerunt. Est & aliud corruptissimum adulaturum genus, qui cum principum suorum originem ad antiquissimos quosque reges extẽdere conentur, cũ in suo genere eo nequeant peruenire, ad externas origenes fabulasque recurrunt, & regum & locorum nomina confingunt, & nihil non commentuntur. Huius generis est barbarus ille Hunibaldus, qui Francorum historias conscribens Scythicam Sicambriam, & Priamum iuniorem aliaque locorum & regum nomina commentus est, quorum nullus vnquam priorum meminit historicus

atq; tamen illius nugas consimilis ingenij homines secuti sunt, videlicet Gregorius Turonensis, Rhegino, atq; Sigisbertus, & plerique alij. Huius furfuris est & Vitikindus, qui Saxones antiquissimos & primores Germaniæ incolas, Macedonũ sobolem ait, & ab Alexandri magni reliquijs deriuat, quem in hoc errore sequuntur plærique alij. Multi præterea scribunt historias, non tam vt vera referant quam vt delectent, aut egregij principis imaginem in quouis lubeat exprimant aut effingant. Quos si quis arguat mendacij, dicunt se non tam ad rem gestam, quam ad posteritatis vtilitatem & famam ingenij intueri, ideoq; non oia narrare vt acta sunt, sed vt narrare expedit, nec se veritatem pertinaciter velle tueri, vbi figmentum falsitatemue communis postulat vtilitas, citantes testem Fabium dicentem, non esse vituperandum tale mendacium, quod ad honestatis persuasionem conducit. Præterea cum posteris ipsis scribant non magni referre, cuius nomine, quaue serie boni principis exemplum proponatur in publicum: talem profecto Xenophon de Cyro, non qualis esset, sed qualis esse debuisset, tanquam optimi principis exemplar & archetypum scitam elegantemq;, sed absq; veritatis fide historiam de scripsit. Hinc tandem factum est, vt multi & natura, & industria ad mentiendum apti, confictis argumentis, fabulosas describerent historias, vt sunt illa Morganæ Margolonæ, Melusinæ, Amadisi, Florandi, Tiranti, Conamori, Arcturi, Dietheri, Lamceloti, Tristanni, illa inquam prorsus fabulosa ac simul in erudita deliramenta poetarum comœdijs ac fabulis fabulosiora: iter eruditos vero principatum in istis obtinuerunt. Lucianus at-

que Apuleius, quin & apud Herodotum historiæ patrem, apud Diodorum & apud Theopompum quod ait Cicero innumerabiles sunt fabulæ, & ipsi pleni mendaciis. Ibi enim epota Medo prandente flumina, & velificatum.

Athon legimus.

Et quicquid Græcia mendax
Audent in historia.

Atq; hæ sunt causæ cur nusquam vere exacta fides reperiatur historiæ, & si hanc in ea maxime q̃rimus, iudicium autem quo in discernendo opus esset difficillimum est consequi. Cum enim publicę rerum gestarum conscriptiones non fierent quæ rerum docerent veritatem, & mentientes arguerent, sed suæ opinioni quisque permissus est. Hinc nacti sunt errandi mentiendiq; potestatem, vnde tanta apud historiographos discordia nata est, vt etiam (quod ait Iosephus) contra Appionem libris suis alterutros arguant, & valde contrariæ de rebus eisdem conscribant, quantis quidem locis (idem ait) Hellicanicus ab Agesilao de genealogiis discrepat, & in quantis Herodotū corrigit Agesilaus, & quomodo Ephorus quidē Hellanicum in plurimis ostendit esse mendacem: Ephorum vero Timæus, Timæum qui post eum fuere, Herodotum vero cuncti. Sed neq; de singulis cum Antiocho, & Philisto, aut Callia Timæus concordare dignatus est: in multis etiam Thucydides tanquam fallax accusatur, licet scrupulosissimam historiam conscripsisse videatur. Hæc de aliis scribit Iosephus, atq; hūc nr̃ corrigit Egesippus. Præterea ex historiographis multi multa narrant, sed non oīa probanda, & quidam probant haud qua q̃ probāda, plæriq; pessima exēpla imi

landa proponunt: Nam qui Herculem, Achillem Hectorem, Theseum, Epaminundam, Lisandrũ, Temistoclem: de nicq; Xerxem, Cyrum, Darium Alexandrum, Pyrrhum, Hannibalem, Scipionẽ, Pompeium, Cæsarem miris laudibus depingunt, quid nisi magnos & furiosos latrones famososq; orbis prædones descripserunt? Esto fuerint imperatores optimi, certe viri pessimi sceleratissimiq;: quod si quis dicat, mihi ex historiarum lectione p̃cipuam nanciscí prudentiam, nõ negauerim, modo id quoque concedat, ex eisdem etiam summã hauriri perniciem, atque vt alicubi canit Marti alis. Sunt bona multa, sunt mediocria multa, sunt mala multa.

De Rhetorica. Cap. VI

Rhetorica vero quæ ijs proxima est, ars sit nec ne inter grauissimos viros certatur, & adhuc sub iudice lis est. Ipse siquidem Socrates apud Platonem firmissimis rationibus eam nec artem nec scientiam contendit, sed sagacitatem quandã, ipsamq; nec præclarã nec honestam, quinimo turpem, illiberalem, ac seruilem adulationem. Sed & Lisias & Cleantes & Menedemus, censuerunt eloquentiam nulla arte posse contineri, sed a natura duntaxat proficiscí, quæ quemlibet doceat dum opus sit: blandiri, & res suas enarrare, argumentisq; firmare, atq; veram pronuntiationem, memoriam, pulchrumq; inueniendi modum, non nisi a natura proficiscí, quod ipsum in Antonio Romanorum oratorum principe visum est. Quin & cum ante Thisiam, Coracem, & Gorgiam nullus adhuc rhetoricę artem scripserit aut docuerit, multos tamen ingenij bonitate fuisse eloquentissimos. Præterea cum ars definiatur esse collectio præceptorum ad vnum

finem tendentium, adhuc certant rhetores quis illius finis sit, an persuadere, an bene dicere: nec cõtenti veris causis, nouas & fictas etiam excogitant. Præterea tot theses, hypotheses, figuras, colores, ductus, characteres, suasorias, controuersias declamationes, procœmia, insinuationes, beneuolentiæ captationes, artificiosissimas narratiões inuenerũt, vt vix numerare sufficiat, & tamen rhetoricæ finem factum esse inficiantur. Hanc Lacedemones omnino reprobarunt, æstimantes proborum hominum sermonem non ab arte, sed a pectore proficisci oportere. Antiqui etiam Romani fero admodum rhetores in vrbem admiserunt, cũque post multam controuersiam ostendere Cicero conatus esset, orandi facultatem non tam ab arte quam a prudentia proficisci, atq; idcirco opus de perfecto oratore scripsisset: tamen ille orator quem ipse velut exemplar sibi fabricat non omnibus probatus est: quin & Bruto ipsi singularis integritatis viro admodum suspectus visus est, semperque vicit sententia rhetorum, benedicendi præcepta hominum vitæ plus officere quã prodesse: atq; vt liceat verum fateri, constat totã illam ac omnem rhetoricæ disciplinam nihil aliud esse quam adsentationis adulationisq; (& vt quidam audacius dicunt) mentiendi artificiũ, vt quod rei veritate efficere non possit, persuadeat fuco orationis, quemadmodum de Pericle sophista ait Archidamus (vt autor est Ennapius) qui interrogatus, num esset illo potentior, respondit: Et si Pericles in bello a me victus sit, ea tamen pditus est dicendi facundia, vt cum de ijs ratiocinetur, non victus, sed victor appareat: atq; de Carneade ait Plinius, q; ipso argumentante quid veri esset, haud facile discerni poterat. De eodem

traditum est, ꝙ cum pro iusticia multa publice eleganter & sapienter disseruisset, postridie non minore doctrina atque copia contra iusticiam peroraſſe. Erat apud Siracusas Corax rhetor, vir acuti ingenij, & linguæ promptioris, qui hanc artē mercede docebat, ad hunc accessit Tisias cum promptam mercedem non haberet, pollicitus est duplicem postquam ille eum docuerit rhetoricam quem Corax hac conditione susceptit & docuit. Hanc Tisias cum didicisset, de precio magistrum circumuenire studens, interrogauit Coracem qd esset rhetorica, quo respondente effectricem persuasionum, in præceptorem sic argumentatus est: Quodcunꝙ igitur de mercede dixero, si tibi me nihil debere persuasero, nihil debeo, quia non debere persuasi: ~~si non persuasero, nihil debeo, quia nō debere persuasi:~~ si non persuasero, non debebo etiam, quia me scire persuadere non docuisti. Tum Corax hoc argumentum in Tisiam retorquere nisus: Quodcunꝙ (ait) ego quoque de mercede dixero, si me accepturum persuasero, accipiam quoniam persuasi: si non persuasero, etiam accipere debeo, quoniam tantum discipulum erudiui ꝙ præceptorem superaret. His antistrophis argumentis eos contēdere audientes Siracusani, exclamauerunt: Mali corui malum ouum, significantes mali præceptoris peiorem discipulum. Haud absimilem historiam refert Gellius de Protagora sophista & Euathlo eius discipulo: Atqui scire exacte, ornate, grauiter, et copiose dicere pulchrū & delectabile ac semper vtile est, nonnunquam tamen turpe & importunum, sæpissime vero periculosum, semper aūt suspectum est, ꝙ circa Socrates ipse rhetores nulla æstimatione dignos censet, nec ꝙ vllam in bene instituta repub. debeant po-

tentiam obtinere: & Plato illos a sua repub. cum tragicis histrionibus & poetis simul excludendos censuit, nec iniuria: Nam hoc artificio nihil periculosius ciuilibus officijs, ab hoc præuaricatores, tergiuersatores, calumniatores, sycophantæ, & cætera huiusmodi sceleratæ linguæ hominum nomina descendunt. Hoc enim præditi homines in ciuitatibus plerunq; coniurant, ac seditiones mouent, dum hac artificiosa loquacitate alios decipiunt, alios mordent, alios cauillant, blandiunt alijs ac in innocentes tyrannidem quandam sibi vsurpant. Hinc recte dixit Eutipides, tyrannicum qd dam esse multa scire dicere: & Aeschilus ait malum omnium turpissimum esse dico compositos sermones: et Raphael Volaterranus historiarum & exemplorum studiosissimus fatetur, collatis q̃cunque audiuerit, quæque legerit veterum & recẽtiorum exemplis, pauciſſimos viros bonos reperiri eloquentes. Nonne eo ipso ingentes respublicæ sæpe grauiter vexatæ, sæpe penitus deletæ sunt. Exemplo sunt eius rei, Bruti, Cassij, Gracchi, Catones, Cicero, Demosthenes, qui vt omnium habiti sunt eloquentissimi, ita semper fuere omnium seditiosissimi: Nam Censorius Cato quadragesies accusatus, ipse septuagesies ac vltra alios reos fecit, tota ætate sua insanis declamationibus reipublicæ tranquillitatem perturbans: Alter Vticensis prouocato Cæsare libertatem Romanam funditus subuertit. Non minus Cicero Antonium in reipublicæ perniciem prouocauit, & Demosthenes Philippum in detrimẽtum Athenienſium: nullus denique reipublicæ status ab hoc artificio non est aliquando euersus, nullus ab eloquentię vitio si aures præbuit restitit illæsus. Perinde permultum potest in iudicijs fiducia eloquentiæ, hac pa

trona defenduntur malæ causæ,& nocens reus eti pitur legis periculo, hac accusante sæpe innocens damnatus est:nec vllus vnquam eo artificio tam defensus extitit, quin læsus sit qui ex diuerso erat. M. Cato Romanorum prudentissimus vetuit tres illos Atheniẽsium oratores, Carneadem, Crytholaum, Diogenem, in Romanam vrbem publice audiendos admitti, quia tam acuto ingenio, orationis facundia, ac valida eloquentia præditi essent, vt facile possent æqua & iniqua persuadere Constat de hoc gloriatum apud amicos olim Demosthenem, sese quando liberet posse iudicũ sententias ad suam voluntatem conuertere artificio sermonis, ad cuius arbitrium Athenienſibus cum Philippo sæpe bellum, sæpe pax fuit. Tanta illi vis erat eloquentiæ in concitandis, sedandisque animorum ac voluntatum affectibus, vt tanquã ciuium suorum imperium habens, illos quo volu erat verteret dicendo. Consimilem ob rõem Cicero Romæ a plerisq; rex vocatus est, qa senatum quis vellet, vteret dicẽdo, oratione sua oia regẽs Hinc apparet rhetoricam non aliam esse quam persuadendi & mouendorum affectuum artem, subtili eloquio, exquisito fuco, & subdola verisimilitudine rapientem animos incautorum, eosq; ducentem in captiuitatem erroris, peruertendo sensum veritatis. Quod si naturæ beneficio nulla res non vera voce exprimitur, quid pestilentius quã verborum fucatorum studium? Veritatis sermo simplex est, sed viuus & penetrans & discretor intentionum cordis, & tanquam securis ac gladius anceps omnia artificiosa rhetorum enthymemata facile dissecans et abscindens. Hinc Demosthenes quum reliquos quoscunq; ex arte dicentes facile contemneret, vnum Photionem vera & ad

rem pertinentia simpliciter & breuiter dicentem metuebat, ideoque orationum suarum securim nuncupare solebat. Forte nouerant hæc prisci Romani, qui (teste Suetonio) rhetores bis Roma ciuitate, semel sub C. Fanio Strabone, & M. Valerio Messala consulibus: semel iterum sub C. Domitio Enobardo & L. Licinio Crasso censoribus, publico edicto ejicientes: tertio sub Domitiano imperatore, vniuersali senatus consulto, & vrbe Roma, & tota insuper exulauerunt Italia: Athenienses eos tanquam iusticiæ peruersores foro prohibuerunt, ac Thymocrates, quod inter officia salutationis Dario regi more gentis illius adulatus fuisset, capitali supplicio affecerunt. Pepulerunt Lacedemonij Ctesiphonē eo q̄ se iactarat de re qua uis totum diem posse dicere. Nihil enim apud illos magis inuisum quam curiosum hoc linguę artificium, eorum quibus veritatis proferendæ nulla cura est, sed opus modicum proponentes, illud orationis lenocinijs & verborum ampullis excolere, & dicendi dulcedine decipere animos auditorum, illosq̄ lingua sua reuinctos ducere ab auribus: iamq̄ palam est nullos hoc artificio factos meliores, complures autem deteriores reddi: qui & si de virtutibus comptius dicere possent, longe tamen videmus elegantiores esse felicioris q̄ eloquentiæ ad defendendos errores, ad seminandas lites, ad excitandas factiones, ad congerenda cōuitia, maledicta, calumnias, q̄ ad conciliandam pacem, concordiam, tranquillitatem, atque ad prædicandam charitatem, fidem, religionem. Porro hoc artificio confisi plurimi ab orthodoxa fide desciuerunt, sectæq̄ ac schismata, superstitionesq̄ ac hæreses hinc pullularunt, dum nonnulli scripturam sacrā, eo q̄ eloquentiæ Ciceronianoq̄ lepo-

re careat, ita aspernantur, vt cum ethnicorum fucatis argumentorum persuasionibus, contra catholicam interdum veritatem sentirent. Quod de Tacianis hæreticis in primis manifestum est, & ijs, quos Libanius sophista, & Symmachus orator idololatriæ defensores, atq; Celsus Africanus, et Iulianus apostata, cõtra Christum magnis rhetorismis insultantes seduxerunt: e quorum pernicioso ac blasphemo eloquio, multas persuasionum argumentationes acceperunt hæretici, quas in aures hominum simplicium immittentes, totos se duxerunt a verbo veritatis, sed quid veterum hæreticorum exemplis insistimus, nostra tẽpora spectemus. Qui sunt duces germanicarum hæresum quæ ab vno Luthero susceptо exordio hodie tam multę sunt, vt fere singulæ ciuitates suam peculiarem habeant hæresim, nonne autores illorum homines disertissimi linguæ eloquentia et calami elegantia instructi, & quos ante annos aliquot a linguarum peritia, a sermonis ornatu, a dicendi scribendiq; promptitudine sic laudatos vidimus, vt nihil illorum laudibus potuisset adiici: hodie videmus capita & principes hæreticorum, ita sunt adhuc multi qui eloquentiæ dediti, dum volunt Ciceroniani fieri efficiuntur pagani, & qui Aristoteli & Platoni impensius student, fiunt illi quidem superstitiosi, hi vero impij. Omnes autem illi quicunque præter simplicia veritatis verba ociosos sermones in aures hominũ effundunt, assistent in iudicio rationem reddituri de ijs, quæ vane coniecerunt & mentiti sunt aduersus deum.

De dialectica. Cap. VII.

SVccedit istis in subsidium dialectica, & ipsa quidem non nisi contentionis ac tenebrarum artificium est, per quam reliquæ omnes scien-

tiæ obſcutiores, ac cognitu difficiliores reddunt: atq; hæc etiam ſeſe logicam videlicet dicendi & ratiocinandi ſcientiam vocat, miſerum profecto & irrationale hominum genus: ſi absq; hac diſciplina neſciat ratiocinari: hanc tamen Seruius Sulpitius omnium artium maximam eſſe dixit, & quaſi lucem ad ea quæ ab aliis doceantur, cum ipſa (vt ait Cicero) rem vniuerſam doceat diſtribuere in partes, & latentem definiendo explicare interpretando obſcuram explanare, ambiguã contemplari & diſtinguere, atq; regulam de iis omnibus tradat qua vera & falſa iudicentur. Præterea pollicentur dialectici ſe cuiusq; rei eſſentialem (vt aiunt) definitionem poſſe inuenire, tamẽ hanc nullis vnquam verbis præſtare poſſunt tam lucidam, quin æque neſcius maneat animus, qñ dicat qs idiotæ pro hoïe animal rõnale mortale, minus intelliget q̃ ſi dixiſſet hoïem. Plura de his ſcripſit inter latinos Boetius, cuius opa non habẽtur, ſed pſtant omnibus q̃ ſcripſit Ariſtoteles, pdicamenta, elenchos, topica, perihermenias, analitica, & reliqua: quem ſecuti Peripatetici opinantur nihil ſtare aut ſciri poſſe, niſi quod ſyllogiſſando probetur per demonſtrationem, eam videlicet quam depingit Ariſtoteles, ſed tamen nunquam in dogmatibus ſuis obſeruauit, cum omnes ſuæ argumentationes ex præſuppoſitis ab eo deducantur, quem ſecuti oẽs iſti ſcientiæ pollicitatores, hactenus nullas aut pauciſſimas veras demõſtrationes dederunt, nedum in naturalibus, ſed omnes deducunt illas ex p̃acceptis, aut abs ſuo Ariſtotele, aut abs alio qui illa prior dixerit, quorum autoritatem ſeruant ſibi pro principiis demonſtrationis: veram autem demonſtratiõem quæ facere debeat ſcientiam docet Ariſtoteles eam eſſe, quæ

fit per quidditates (vt loquuntur Dialectici) per proprias rerum differentias nobis occultas & ignotas. Ait insuper demonstrationem ex causis fieri, ex ijs quæ sunt de per se, & secundum quod ipsum, quæ quidem enunciationes cum sint conuertibiles se ad inuicem inferentes, tamen ait non dari nec concedi demonstrationem circularem ex causis. Si itaq; nunc principia demõstrationis plurimum ignota sunt, & circulatio non admittetur, certe nulla inde aut paucissima eaque incerta haberi potest scientia: credere enim oportebit demõstratis per fragilia quædam principia, quibus aut propter præcedentem prudentum autoritatem, veluti notis terminis assentimur, aut quos experientia comprobamus per sensus. Omnis enim notitia (vt aiunt) ortum habet a sensibus, & experimentum sermonum verorum (vt ait Auerrois) est, vt concordent sensatis. Et illud notius est & verius in quod plures sensus conueniunt, ex sensibilibus itaque eorum sententia manuducimur, ad omnia ea quæ a nobis sciri possunt. Iam enim cũ sensus omnes sæpe fallaces sint, certe nullam nobis synceram probare possunt experientiam. Præterea cum sensus intellectualem naturam nequeant attingere, & rerum inferiorum causæ ex quibus illarum naturæ, effectus, & proprietates seu passiones demonstrari deberent, sint omnium consensu nostris sensibus penitus ignotæ, nonne cõuincitur ytatis viã sensibus esse præclusam, quare etiam omnes illæ deductiones & scientiæ quæ in ipsis sensibus radicibus fundatæ sunt, omnes incertæ erunt & erroneæ & fallaces. Quæ ergo nũc vtilitas dialecticæ, quis fructus scientificæ illius demonstrationis ex principijs & experimentis, quibus cũ veluti notis terminis assentire necesse erit

nonne iã ipſa principia & experimentata magis ſcientur quam demonſtrata: ſed hæc ars nũc paulo remotius nobis repetenda eſt. Dialectici decem numerant prædicamenta quæ vocant genera generaliſſima, hæc ſunt: ſubſtantia, quantitas, qualitas relatio, quando, vbi, ſitus, habitus, actio, paſſio: q̃ bus omnia conſtare putant, & intelligi quæcunque in toto vniuerſoq; orbiculari mundo continentur. Tradunt inſuper quæ de ijs ipſis ac earum partibus prædicentur, quinq; vedilicet: genus, ſpeciem, differentiam, proprium, accidens: quæ ob id prædicabilia nominarunt. Porro inuenerunt quatuor cuiuſlibet rei cauſas, materialem, formalẽ, efficientem & finalem, ex q̃bus oĩm rerũ ỹ vitatẽ & falſitatẽ ſele iuenire poſſe arbitrant̃, quadã infallibili (vt putant) demonſtratione, hoc eſt, ſyllogiſmo, quem altero trium ordinum, vt vocant, figurarum ſupra vndeuiginti modos eſſe oportebit. Componunt autem omnem ſyllogiſmum ſiue demonſtrationem ex tribus terminis, qui ſunt: ſubiectum quæſiti, & dicitur minor: alter prædicatum quæſiti, & dicitur maior: tertius eſt mediũ inter vtrumq; participans: & iuxta hos duas formant propoſitiones, quas præmiſſas appellant, maiorem & minorem, ex illis tandem naſcit̃ concluſio, ſcilicet de altero ad extremum, alterum tãquam a limine ad metam procurrentes. Hoc totum eſt egregium illud artificium, hæc eius ſunt extrema confinia, quibus omnia conbinare, diuidere, & concludere opinantur, per quædam quæ refelli poſſe impoſſibile putant axiomata, atque hæc ſunt logici artificij portentoſa, & alta myſteria, magnoque labore exquiſita, a magiſtris fallacibus, q̃ tanq̃ occulta q̃dam & arcana non oẽs profiteri licet, nec diſcere, niſi illos qui grãdes mer

cedes pro illis præstare possunt, magnisq; sumptibus autoritatem hanc sibi inter scholasticos coemerint. Denicq; ij sunt eorum canes, hæc illa retia quibus (illorum opinione) rerum omnium siue naturę subiectarum, vt physica, siue naturam ipam comitantium, vt mathematica, siue naturam ipsam quodammodo superantia, vt Metaphysica venantur veritatem, quam tamen eo artificio iuxta P. Clodij atq; Varronis prouerbium, nimiũ altercando amittunt, atque hęc sunt duntaxat veterum dialecticorum confinia.

¶De Sophistica. Cap. VIII

Sed longe plura prodigia maioraq; portẽta ijs addidit recentior sophistarum schola, de terminorum passionibus, de infinito, de comparatiuis de superlatiuis, de differt aliud ab, de incipit et de finit, de formalitatibus, hæccæitatibus, instantibus, ampliationibus, restrictionibus, distributionibus, intentionibus, suppositionibus, appellationibus, obligationibus, consequentibus, indissolubilibus, exponibilibus, reduplicatiuis, excluiuis, instantijs, casibus, particularisationibus, suppositis, mediatis & immediatis, completis & incompletis, complexis & incomplexis, & cæteris intolerandis vanisque vocabulis, quæ traduntur in paruis logicalibus, quibus omnia quæcunque reipsa falsa sunt & impossibilia, vera esse facile conuincent: & contra quæcunq; vera sunt, velut ex equo Troiano erumpentes, ijs machinis subito verborũ incendio ac ruina vastabunt. Sunt rursus qui non nisi tria prædicamenta recipiunt, nec nisi duas syllogismorum figuras, & tm̃ octo illorum modos probant, modales aũt propositiones, concretos insup & abstractos terminos rideant, nec desunt q̃ vndecimum numerent p̃dicamentũ

& quartam syllogismorum figuram, augerentq; prædicabilium & causarum numerum, totq; inuictas & Scoticas subtilitates inuexerunt, vt Cleantis, Chrysippiq; argutiæ, cum Daphitæ, Euthidemi, Dionysiodori circumuentiunculis, penitus crassæ, rusticanæq; futuræ sint, si cum ijs nouis sophistarũ nostrorũ inuentis conferantur, in quibus nunc passim ferme, omnis scholasticorũ turba, cum misero labore ac damnabili studio occupata, nil magis agere videtur, nisi vt discat errare, ac perpetuis digladiationibus explicandã ỹitatem obscuriorem reddere vel amittere, quorũ tota disciplina non aliud quicq; est q̃ captio q̃dam, ex depraua-tis verborũ dictionibus subdola quadã cauillatione peruertens vsum loquendi, & vim inferens linguæ cui; ignorat, transuertens ỹitatem secundum verisimilem expositionem, quorũ gloria non nisi in conuicijs & strepitu sita est, vt q̃ non tã victoriam appetant q̃ certamẽ, nec ỹi inueniendi, sed altercandi propositum sit, adeo vt inter hos primas partes teneat, quisquis clamosissimus & impudentissimus, & linguæ fremitu audacissimus. De quibus ait Petrarcha: siue is styli pudor, siue ignorantiæ confessio est, lingua implacabiles sunt calamo non contendunt, nolunt apparere q̃ friuola sunt quibus ornant: ideoq; more Parthico fugitiuam pugnã exercent, & volatilia ỹba iactantes quasi ventis vela cõmittunt. Hi sunt enim quos Quintilianus dicit in disputando mire callidos, cum aũt ab illa cauillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo grauiore actu, q̃ parua quædam animalcula quæ in angustijs mobilia campo deprehenduntur, itaq; campũ timẽt verumq; est illud diuerticula & anfractus suffragia esse infirmitatis, vt qui parũ cursu valent flexu eludãt,

Sic & sophistæ metuunt sub notarijs, & collatis libris, & autoribus pugnare, sed solius memoriæ & linguæ viribus, fugitiuis clamoribus, non ad calamos, sed ad obliuiosas aures concertare volunt, nec referre putant qua quisque ratione vtatur, dummodo instantiam det, nec curandū quic quid sentiat aut dicat, modo loquatur & strenue contendat: Nam qui verbosior est, is inter eos videtur doctior, ijs præstigijs circumeunt scholas, & plateas, & mensas, quærunt æmulos, quos vt cō grediantur inuitant, instant, insiliunt, si congreditur & vrget ad diuerticula prolabuntur, & latebras quærunt, & ad vsitata recurrunt, tot facientes anfractus, ac si labyrinthum circumiri oporteat. Quod si quis nolit aut pigeat cum illis decertare, subdola aliqua interrogatione, & quam quis non optima cognitione inquisiuit adgrediūtur, vt sic vel ex improuiso respondentem de errore conuincant, aut scire se negantem verecundiæ reum faciant & explodant, atque ipsi in vtramq; partem doctrinæ vēdicent gloriam. Sed quos fructus nobis in ecclesia Christi peperit pariatque dialectica cum suis sophistis spectemus, qui non assentientes diuinæ traditioni illam compositis, & ex fallacibus sensibus deductis rationibus, confundunt quibus dum nimium credunt, recedente luce veritatis, succrescunt tenebræ, quibus obuoluti & excæcati factique magistri & duces cæcorum, multos secum ijs falsis argumentationibus ac apparentibus rationibus trahunt in foueam, semperque ignorantiæ profundum, errorumque pelagus innatantes, serpentum more lubrici fraudulentiæ & seductionis verbis subinuolantes imperitiores seducunt ad credendum figmentis suis, & extollentes ea, persuadere audent sa-

eratissimam theologiam, sine logica, sine dialectica, sine rixa', sine altercatione, sine sophismatibus constare non possit? Non inficior dialectibus ad scholasticam exercitationem conferre, cam sed ad theologicam contemplationem quid conferat non video, cuius summa dialectica est in oratione constituta, nec enim vana promissione pollicitus est nobis Christus inquiēs: Petite & accipietis. Itaq; priusq; contentiosi scholastici suam dialecticam discant, isti Christifideles ab ipso magistro veritatis impetrāt omnem necessariam veritatem. Præterea dialectica per varias ambages tandem non altius pertingere potest q̄ ad philosophiam, sed per fidelem orationem recta & certissima via conscenditur ad summam diuinarum atque etiam humanarum rerum sapientiam. Errant igitur quicunq; dicunt dialecticam hāc esse euertendorum hæreticorum machinam omnium potentissimam, cum re vera ipsa sit robur omnium hæreticorum: hac arte freti quondam Arrius & Nestorius hæretici, tam impudenter desipuerunt, vt ille diuersas per gradus & tempora in Trinitate substantias assereret, alter Mariam virginē theotocon esse negaret, quia diuinas operationes logicis sophismatibus metiri præsumpserunt, plus Aristotelis obseruantes dialectica sophismata', q̄ diuinæ scripturæ animaduertentes verba. Omnia namq; (vt ait Hieronymus) hæreticorū dogmata sedem sibi & requiem inter Aristotelis & Chrysippi spineta reperiunt, inde Eunomius profert, q̄d natum est, nō fuit antequam nasceretur. Inde Manichæus, vt deum liberet a conditione malorum, alterum mali inducit autorem. Inde Nouatus subtrahit veniam, vt tollat pœnitentiam. De illis fontibus vniuersa hæreticorum dogmata, argumen

Arrius
Nestorius
Eunomius
Manichæus
Nouatus

tationū suarū riuulos trahunt: Nā cū nullus sermo sit q̄ non recipiat contradictionē, nec vlla argumētatio q̄ nō possit p̄ aliā subuerti, inde est q̄d ad nullū finē scientiæ, ad nullam cognitionē v̄itatis, p̄ dialecticas disputationes hoēs p̄uenire possint: sed & multos contigit declinare a v̄itate in hæreses, dū speciē sibi validioris v̄itatis logicis argumentationibus reperisse se credunt, aut sic hæreticos reprobant, ut ipsi nihilo saniora restituant: qua re Plato ipse sero admodū voluit dialecticā attingi a custodibus, eo q̄d hæc in vtranq̄ partem differat, & minus firmas reddat de honesto aut inhonestorationes. Hæc de dialectica hactenus.

De arte Lullij Caput IX.

INuenit aut Raimundus Lullius recentioribus tpibus dialecticæ haud absimilē prodigiosam artē, per quā tanq̄ olim Gorgias Leōtius (qui primus in conuentu literatorū hoim poscere ausus est, qua de re quisq̄ audire vellet) de quouis subiecto sermone, abunde quis valeat disserere, atq̄ in uenire quadam artificiosa nominū ac verborum perturbatione, atq̄ in vtramq̄ partem de omni sermone curioso hoc plusquan eleganti artificio, garrula loquacitatis ostētatione disputare, necq̄ ullum vincendi locum alijs relinquere, & res minutissimas et pusillas in immensum dilatare. Sed hęc altius repetere non est necesse, nos ampla satis cōmentaria in hanc artem dedimus alibi, verū nolo hęc alicui fucum faciant in artificio admodum leui, q̄ & si in eisdē extollere visi sumus, tamē res ipsa palam se facit, vt opus non sit circa hanc magnopere depugnare, hoc autem admonere vos oportet, hanc artem ad pompam ingenij & doctrinæ ostentationem potius quam ad cōparandam eruditionem valere, ac longe plus habere auda-

ciæ quam efficaciæ. Esse præterea totam inerudi tam ac barbaram, nisi elegantiore quadam litera tura adornetur.

¶ De arte memorativa. Caput X.

His artibus adnumeratur etiam memorati- ua, quæ (ut ait Cicero) nihil aliud est quam inductio quædam, & præceptionis ratio, locis & imaginibus tanq̃ membrana cõstans, & characteribus a Simonide Melitone primum ex- cogitata. Deinde per Metredorum Sceptium per fecta, ipsa tamẽ qualis qualis sit, sine naturali me moria persistere minime potest, quam tot fæpissi- me monstruosis obtundit imaginibus, vt pro me moriæ tenacitate maniam & phrenesim nõnunq̃ inducat, dum videlicet naturalem memoriam in numerabiliũ rerum ac verborũ imaginibus præ grauans, naturæ finibus non contentos, arte insa nire facit. Hanc itaque cum Simonides aut alius quiuis Themistocli obtulisset, ait ille obliuionis mallem: nam multa memoro quæ nollem, obliui- sci non possum quæ vellẽ. Et Quintilianus de Me trodoro: Vanitas, inquit, nimirum fuit atq; iacta tio, circa memoriam suam potius arte quam na- tura gloriantis. Scripserunt de ea Cicero lib. rheto ricorum nouorum, & Quintilianus in institutioni bus, & Seneca, & ex recentioribus Franciscus Pe tracha, Mateolus Veronensis, Petrus Rauen- nas, & Hermannus Buschius, & alij, sed indigni catalogo, obscuri homines permulti, & multi hanc quotidie profitentur, sed non reperitur qui in ea multum proficiat, & magistri eius pro lucro in famiam sæpe reportant: solent enim in gymnasijs plærumque huius artis professione nebulones quidã scholaribus imponere, ac rei nouitate pecunio lam ab incautis emungere, denicq; puerilis gl'a est

ostentare memoriam, turpe & impudētis est, multarum rerum lectionem instar mercimoniorū ante fores explicare, cum interim vacua domus sit.

De Mathematica in gñe. Cap. XI.

Sed tempus est nunc de mathematicis disciplinis dicere, quæ multo omnium certissimæ putantur, omnes tamen non nisi in doctorum suorum, quibus plurima fides datur, opinionibus cōsistunt. qui etiam in illis non parum errauerūt, q̄d & Albubatar vnus eorum nobis attestatur, inquiens: Antiquos etiam vsq; post Aristotelis tempora non plane mathematica sciuisse, cumq; omnes hæ artes circa sphæricam seu rotundam, siue figuram, siue numerum, siue motum potissime versentur: fateri tandem coguntur perfecte rotūdum seu sphæricum nusq̄, neque secundum artem reperiri, necq; secundum naturam. Atq; hæ disciplinæ licet vel paucas, vel nullas in ecclesia hæreses dederint, tamen quod ait Augustinus, nihil ad salutem pertinent, sed magis in errorem mittunt, & a deo auocant, atque (vt ait Hieronymus) non sunt scientiæ pietatis.

DE Arithmetica. Caput XII.

Inter has prior est Arithmetica, hoc est, numerorum disciplina, quæ matris quodāmodo ad cæteras obtinet vicem, non minus superstitiosa q̄ vana, ac propter vilem numerandi practicam, non nisi a mercatoribus auaritię causa in p̄tio habita: tractat enim de numeris & earum diuisiōibus, quis par, quis impar, quis pariter par, quis pariter impar, quis impariter par, quis superfluus, quis diminutus, quis perfectus, quis compositus, quis incompositus, quis per se, quis per aliū. Item de proportione & proportionalitate earundemque speciebus. De numeris harmonicis & ge

ometricis, decꝫ varijs numerorum passionibus et minutijs atꝙ modo supputandi.

¶ De Geomantia. Cap. XIII.

DEnique arithmetica hæc nobis geomanticam diuinationem, & prænestinas tesseras & talos, & aleas, et quicqd est eiusmodi numeralium sortilegiorum progenuit: quamuis Geomantiam omnes ferme astrologiæ adoptent, ob parilem iudicandi rationem, tum quia vires eius non tam ex numero, quam ex motu eliceant, iuxta illud Aristotelis dictum in primo metheororum: Motus cœli est perpetuus, & est principium & causa omnium motuum inferiorum. Scripserũt autem de hac ipsa ex antiquioribus, Hali: ex recẽtioribus Gerardus Cremonensis, Bartholomæus Parmensis, & quidam Tundinus: scripsi & ego quandam Geomantiam ab alijs lõge diuersam, sed non minus superstitiosam, fallacemꝙ, aut si vultis dicam etiam mendacem.

¶ De Aleatoria. Cap. XIIII.

ARs item aleatoria, & ipsa tota sortilega est, cuius quanto quis studiosior, tanto crit & nequior & infelicior, dum alieni concupiscentia sua profundit, nec vel patrimonij vllam reuerentiam tenet. Hæc ars mendaciorum, periuriorum, furtorũ, litium, iniuriarum, homicidiorumꝙ mater est, vere malorum dæmonũ inuentum, quæ excisо Asiæ regno inter euersæ vrbis manubias varia sub specie migrauit ad Græcos. Hinc tesseræ, calculi, tricolus, senio, monarchus, orbiculi, thaliorchus, vulpes, præterea octocedron, duodecacedron, quibus nonnihil diuinationis inesse putatur. Sunt & qui dicant Attalum Asiaticum artem hanc inuenisse, & ab artificio numerandi excogitasse; e Romanis vero memo-

riæ proditum est Claudium imperatorē de illa li-
brum composuisse, cuius ipse atq; ante eum Au-
gustus Cæsar ambo studiosissimi cupidissimique
extiterunt. Ars tota infamis, & omnium gentium
legibus interdicta, quin & Cobilon Lacedæmo-
nius iungendæ societatis causa Corinthum lega-
tus missus, cū duces ac seniores Corinthiorum in-
uenisset in alea ludentes, infecto negocio redijt di
cens: nolle se Spartanorum gloriam hac infamia
maculare, vt dicerentur cum aleatoribus societa
tem cōtraxisse: tanto probro apud maximos q̄s-
que habita est, vt regi Demetrio in leuitatis op-
probrium taxilli aurei a Parthorum rege missi
sunt: atq; tū hodie regum & nobiliū hic exercita
tissimus ludus est: quid ludus? imo sapientia, eoꝝ
qui fuerint in hac ad fallendū dānabilius instituti.

¶ De sorte Pytagorica. Cap. XV.

NEc illud prætereundum censeo, quod asse-
rebant Pytagorici, & quod alij putāt, ipse
etiam credidit Aristoteles, literarum ele-
menta certos suos possidere numeros, ex quibus p̄
propria hominū nomina diuinabantur, collectis
in summam cuiuslibet literarum numeris, quibus
collatis palmam illi tribuerunt cuius summa al-
teram excesserat, siue de bello, siue de lite, siue de
coniugio, siue de vita aut alia consimili re quæsi-
tum foret. eaq; ratione dicunt Patroclum ab Hec-
tore victum, illum vero ab Achille superatum,
quam rem Terentianus tradidit ijs versibus:

Et nomina tradunt ita literis facta.
Hæc, vt numeris pluribus, illa sint minutis,
Quandoq; subiunt dubia pericla pugnæ,
Maior numerus qua steterit, fauere palmam
Præsagia lethi minima patere summa
Sic & Patroclen Hectora manu perisse.

Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.
Et sunt qui simili computo promittunt sese horoscopia inuenturos, sicut de ijs tradidit, nescio qs, noīe Alchandrinus, obscurus philosophus, quē ferunt discipulū fuisse Aristote. Et narra Plinius Pytagorę inuētis etiā illud attribui, ꝓpriorę nominū imparē vocaliū numerum, orbitates oculorę, claudicationes, consimilesue casus portendere.

Adhuc de Arithmetica. Cap. XVI.

Ed ad Arithmeticam redeamus: hanc Plato a malo dæmone vna cū talorę et aleaę ludo primū mōstratam ait: Et Lycurgus magnus ille Lacedæmonioę legislator, illā ceu turbulentā e republica sua eijciendā censuit. Vacuū em̄ & inanē laborē deposcit, & ab vtilibus honestisq; negotijs hōes abstrahit, ac de rebus futilibus sæpe magnis iurgijs cōtendit. Hic illud Arithmeticoę irreconciabile bellū, vter numerus par an impar p̄ferendus sit: qs inter ternarium, senariū, denariū, numerus sit perfectior: Item quis numerus dicitur pariter par, circa cuius diffinitionē Euclidem ipsum Geometriæ principem, non patrū errasse contendunt. Præterea non facile dixerim, q̄ Pytagorica mysteria, quas magicas vires numeris inesse somniant, etiam ab ipsis rebus nudatis, dicereque audent nisi illis instrumentis exēplaribusq; mundum ad deo creatū iri nō potuisse, ac diuinoręoīm cognitionē in numeris tanq̄ in regula oīm certissima cōtineri. Hinc orti sunt Marci, Magi, et Valentini hæreses in numeris fundatę & ex numeris progressæ, q diuinā religionē & innumerabilia diuinæ veritatis secreta, sese per frigidissimos numeros posse inuenire et enūciare p̄sumebant. Accedit istis Pytagorica tetractis inter sacramenta habita, & alia plura ijs similia,

quæ omnia vana, ficta, & falsa sunt, nec quicquã veri supereſt arithmeticis illis, niſi inſenſatus ac inanimatus numerus, atq; tamẽ hinc ſeſe diuinos homines agere arbitrantur quod ſciant numerare: ſed hoc ægre illis concedunt muſici hũc honorem ſuæ harmoniæ libentius deferentes.

De Muſica. Caput. XVII.

DE Muſica igitur iam nobis ſermo eſto, de qua ex Græcis copioſe ſcripſit Ariſtoxenus qui & animam muſicam eſſe dixit: cuius documẽta Boetius deinde latinis tradidit: dico autem illam quæ in vocum ac ſonorũ modulatione conſiſtit, non eam quam de metris & rithmis ac carminum fictionibus nuncupant, quæ poeſis eſt, quæ autore Alpharabio, non tam ſpeculatiõe ac ratione, q̃ furoris inſania fertur, de qua ſuperius diximus: verum eam quæ de modulationibus eſt, quæ eſt concentus neruorũ, aut vocum in ſuos modos ſine aurium offenſione conſonantium: agit enim de ſonis, de interuallis, de ſiſtematis genere, de tono, de commutatiõibus ac modulationibus: Hanc veteres diuiſere in enharmonicam, chromaticam, diatonicã: priorem autem (videlicet enharmonicam) ob nimis reconditam difficultatẽ, pro impoſſibili eius indagine deſeruere: alteram vero oblaſciuiæ infamiam aſpernati ſunt atq; abdicarunt: tertiam vero ſpeciẽ dun taxat (tamq̃ mundanæ compoſitioni conformẽ perſuaſi) admiſerunt. Sunt etiam ex veteribus, q̃ muſicos modos ex gẽtium vocabulis diſtinxerũt, vt in Phrygium, Lydium, Dorium, quos apud Polymeſtrem & Saccadam Archiuum genere fuiſſe antiquiſſimos conſtat, quibus Sappho Lesbia (ut inquit Ariſtoxenus) quartum videlicet mixolydium ſuperinſtituit, cuius inuentorem, alij Terſan

drum, alĩ Pythoclidem tibicinem putant: Lysias Lamproclem Athenienſem autorem poſuit, atq; hos quatuor modos veterum autoritas celebres notauit: totamque aſtructionem encyclopediã vocarunt, quaſi ſcientiarum orbem, quod muſica omnes amplectatur diſciplinas, ſicut ait Plato in primo de legibus, muſicam ſine vniuerſa diſciplina tractari non poſſe. Inter hos vero quatuor modos, Phrygium, quia diſtrahit & rapit animũ nõ probant, ſed barbaricum Porphyrio illum vocat, quia ad furorem & pugnas excitandas tantũ cõmodum. Alĩ idcirco Bacchicum vocant, vti furibundum, impetuoſum, & perturbatũ: cuius modulatione, quam Anapæſto pede declarant, Lacedæmonios & Cretenſes ad arma concitatos legimus: eodem Timotheus Alexandrum regẽ ad arma incitauit: & Tauromenitanus iuuenis narrante Boetio, domum in qua ſcortum latitabat Phrygio ſono excitus comburere feſtinauit. Lydium etiam Plato reprobat, vt qui acutus ſit & a modeſtia Dorĩ recedens, lamentationibus accõmodus: verum (vt quibuſdam placet) etiam ĩſs q̃ natura hilares & iucundi ſunt congruus. Hinc Lydos hilares ac periucundos populos ĩſs modulationibus delectatos ferunt, quas etiam Tuſci Lydorum progenies choricis ſaltationibus adhibebant. Dorium autem tanquam grauiorem honeſtioremque & omnibus modis modeſtum, ad graiores animi affectus & motus corporis aptum, & ad recte ac bene viuendum vtilem, omnibus prætulerunt: ideo apud Cretenſes, Lacedæmonios Arcades, in magna veneratione habitus. Imperator quoque Agamennon ad bellum Troianũ profecturus Doricum domi reliq̃t muſicũ qui ſpõdeo pede mulierem Clytemneſtram in pudicitia

probitateque conseruaret: quare non prius ab Aegystho vitiari potuit quam is musicum prius e medio impie sustulisset: Mixolydium vero tragœdijs & commiserationibus congruum, incitationis & retractionis efficaciam habere, & mœroris imperium tenere dicunt, His quatuor modis sunt qui alios superadinuenerunt, vt ḋs collaterales vocãt videlicet Hypodoriũ, Hypolydiũ, Hypophrygium, ut sint septẽ totidẽ planetis correspõdentes, q̃bus Ptolomæus addit octauum hypermixolydium omnium acutissimum firmamento attributũ: verum Lucius Apuleius primo Floridorũ quinq; modos describit Aeolium, hyastium varium, lydium querulum, phrygium bellicosum, dorium religiosum His addunt alij Ionicum iucundum & floridum. A. Martiano etiã iuxta Aristoxeni traditionem quinque numerantur modi principales, & decem collimitij. Et licet hanc artem suauitatem non modicam habere fateantur, communis tamen sententia est, atque ipsa experientia omnibus nota, esse illam vilium ac infelicis intemperãtisque ingenij hominum exercitiũ, & qui nec incipiendi nec finiendi rationem teneant, sicut de Archabio tibicine legitur, qui pluris conducẽdus erat vt desineret, quam conducendus vt caneret. De quibus tam importunis musicis sic ait Horatius:

Omnibus hoc vitium est cãtoribus inter amicos,
Vt nunq̃ inducant animum cantare rogati:
Iniussi nunq̃ dissistant.

Hinc musica ipsa ad precium & stipem semp vaga bunda extitit, & lenocinioq; clientula, quã nullus unq̃ professus est vir grauis, modestus, pudicus, fortis. Ideoq; Græci illos cõmuni vocabulo Liberi patris artifices, siue (vt Aristoteles) dionysiacos

Technitas, hoc est, artifices bacchanales appellarunt, q̃ improbis esse moribus magna ex parte cõ sueuerunt, vitã plurimũ traducẽtes incontinenter partim etiã cũ inopia, q̃ quidẽ vitia & gignit & auget. Persarum & Medorũ reges, musicos inter parasitos & histriones referebãt, videlicet ex ope illorũ voluptatẽ sibi capientes, ipsos autẽ actores contemptui habentes, atq; Antisthenes ille sapiẽs, cum audisset Ismeniam quendam optimum haberi tibicinem, homo neq̃ est inquit, non em̃ si probus foret tibicen esset, non enim (vt dicitur) ars est illa viri sobrij & probi, sed ociosi & iocantis. Hãc Scipio, Aemilianus, M. Cato, tanq̃ a Romanis moribus alienam aspernabantur. Hinc Augusto atq; Neroni probro datum est, quod musicam auidius sectarentur. Sed Augustus correptus quidem abstinuit. Nero autem peramplius insequutus, ob hoc contemptui ludibrioq; habitus est. Philippus rex cum audisset filium quodam loco suauius cecinisse, obiurgatus est. Nonne pudet (inquiens) q̃ tam bene scias canere, satis enim est supereq; principi viro canentibus alijs audiendi ocium superesse. Non canit apud Græcos poetas Iuppiter, nec pulsat citharam, docta Pallas detestatur tibias. Apud Homerum pulsat Citharœdus, præbent aures Alciones & Vlysses. Apud Vergilium sonat & cantat Iopas, auscultant Dido & Aeneas: Alexãdro magno quondã canẽte Antogionus pedagogus citharã fregit, abiecitq; ingens, ętati tuę iã regnare cõuenit, nõ canere: Sed & Aegyptij (teste Diodo) musicã tanq̃ virorũ animos effœminantẽ prohibebant adolescentes suos perdiscere. Et Ephorus (teste Polibio) eam non nisi ad illudendos ac fallendos homines inuentam tradidit: Et reuera quid inutilius, quid contemptibilius,

quid fagiendum magis iſtis tibicinis, cantoribus, ac reliqui generis muſicis, qui tot vocibus canentium, præcinentium, decinentium, intercinētium, occinentium, & concinnentium vniuerſarum auium garritus ſuperantes, venenata quadam dulcedine, velut Sirenes hominum animos laſciuientibus vocibus, geſticulationibus, ac ſonis præſtigiāt atq; corrumpunt. Quapropter Ciconum matres atq; nurus Orpheum ipſum ad Parcarū vſq; inuidiam perſecutæ ſunt, q̄ modulis ſuis mares ef fœminaret. Quod ſi fabulis quædam autoritas eſt: Centum luminibus cinctum caput Argus habebat, quæ omnia tamen vnius fiſtulæ modulo ſopita ſunt & extincta: Atq; tamen hinc plurimū gloriantur muſici iſti, quaſi ipſi ſupra rhetores habeant mouēdorum affectuum imperium: quos inſuper eo ipſo euexit inſania, ut ipſos etiam cœlos canere affirment, vocibus tamen a nullo vnq̄ mortalium auditis, niſi forte q̄ muſicis iſtis, per ſuū euouae, ſeu per temulentiam vel inſomnium innotuerunt: Nullus tamen muſicorum interime cœlo deſcendit, qui vocum conſonantias omnes nouerit, quiq; proportionum inductiones omnes inuenerit: Attamen dicunt artem eſſe conſummatiſſimam, & quæ omnes amplectatur diſciplinas, nec ſine vniuerſa diſciplina tractari poſſit, etiam diuinationis vim illi tribuentes, qua corporis habitudines, animiq; affectus, & mores hominum per ipſam iudicentur: ſed & dicunt artem eſſe infinitam, nec vllo ingenio exhauriri poſſe, ſed indies illam pro cuiuſq; captu nouos dare modulos: Propterea quæ non male Anaxillas: muſica per deos (inquit) perinde atque Lybia ſemper quotannis, nouam quampiam feram parit. Hanc Athanaſius ob vanitatem ſuam interdixit eccleſijs; ſed

Ambrosius ceremoniarum & pompæ appetentior, ecclesijs instituit canendi & psallēdi vsum: Augustinus vero in medio hærens, inde sibi haud nō difficile dubium ortum esse in confessionibus suis meminit: hodie vero tanta in ecclesijs musicæ licētia est, vt etiam vna cum missæ ipsius canone obscœnæ quęq; catiunculæ interim in organis partes vices habeant, ipsaq; diuina officia & sactæ orationum preces, conductis magno ære lasciuis musicis, non ad audientium intelligētiam, nō ad spirituseleuationem: sed ad fornicariam prurigīnem, non humanis vocibus, sed beluinis strepitibus cātillant, dum hinniunt discantū pueri, mugiūt alij tenorem, alij latrant contrapunctum, alij boāt altum, alij frendent bassum, faciuntq; vt sonorum plurimum quidem audiatur, vt verborum & orationis intelligatur nihil, sed auribus pariter & animo iudicij subtrahitur autoritas.

De saltationibus & choreis. Cap. XVIII.

AD musicam spectat etiam saltationum siue chorearum artificium puellis amatoribusq; longe gratissimum, et quod magna cura discunt, & in medias noctes sine saci etate protrahunt, summaque diligentia obseruāt, vt ad lyræ tympaniq; ac tibiarum numeros, cōpositis gestibus, moderatisq; incessibus saltent, ac rem omnium stultissimam, & insania quadam haud absimilē prudentissime vt putant scientissimeq; peragant, q̄ nisi tibiarę concentus tēperaret & vt (dicitur) vanitas vanitatem cōmendaret, nullū choreis spectaculū ridiculū ac inconditū magis: hæc laxamen petulantiæ, amica sceleris, incitā libidinis, hostis pudicitiæ, ac ludus probis omnibus īdignus: sæpe ibi matrona (vt ait Petrarcha) diu seruatū decus p̄didit, sæpe infelix ẏ gūcu

la alibi didcit q̃d melius ignoraſſet, multarũ ibi fama periit pudorq;. Multę inde domũ impudicę plures ābiguæ rediere, caſtior aũt nulla: pudicitiã choreis ſæpe ſtratã ſpq; impulſam oppugnatãque videmus: laudarunt tñ hanc nonnulli Græcorum ſcriptores, ſicut plæraq; alia fœda ac perniciosa, ipſaq; ſaltationũ exordia e ſummis cœlis, e ſtellarũ ſyderũq; lationibus, eorq; greſſu, & regreſſu, cõplexu, ac ordine tanq̃ harmonica quadã cœleſtiũ chorea, vna cũ mũdi gñatione diuinitus prodiſſe dicunt: Alij inuẽtum eſſe ſatyrũ, Bacchũ quoque hac arte Thyrenos, Indos, & Lydos bellicoſiſſimos populos deuiciſſe aiunt. Hinc tandẽ ſaltatio ipſa in religionẽ relata eſt, & a Coribãtis in Phrygia, a Curetis in Creta, abs dea Rhea fieri iuſſa eſt, et in Delo nulla ſacra peragebant cui ſaltatio non fuiſſet adhibita, nec vllæ vnq̃ celebratæ feſtiuitates & ceremoniæ citra ſaltationẽ. Indorũ q̃q; Brachmanni mane & veſpere ad ſolem conuerſi ſaltantes illum venerabãtur. Apud Aethiopas etiam, & Aegyptios, & Thracos, & Scythas, ſaltatio inter ſacrorum ceremonias habita eſt, quippe quæ ab Orpheo et Muſeo optimis ſaltatoribus cõſtituta fuiſſet. Erant etiam apud Romanos ſacerdotes Salij, qui in honorem Martis ſaltabant. Lacedæmonij Græcorum præſtantiſſimi, cum a Caſtore & Polluce ſaltare perdidiciſſent, omnia ſaltationibus peragere ſoliti ſunt. In Theſſalia tanto in precio habita eſt, vt populi præſides & anteſignani præſaltatorum nomine honarentur. Ipſe etiam Socrates vir omnium ſapientiſſimus ab oraculo iudicatus, illam iam natu grandior diſcere non erubuit, quin & ſummis laudibus extulit, & inter ſerias diſciplinas numerauit, viſaque illi res grauior quam vt de ea recte pronunciari poſſit, q̃

tota diuina cum mundi generatione nata esset, et cum Amore deo vetustissimo in lucem prodierit, Sed quid mirum sic a Græcis philosophari, q̃ adulteria, q̃ stupra, qui parricidia, denicq; nullũ nõ facinus in deos referunt autores. Complures de saltatione libros, scripserunt, qui omnia genera eius & species numerosque comprehenderunt, earundẽq; nomina percensuerunt & cuiusmodi vnaquæq; illarum esset, & quo autore inuenta: quare de illis plura hic dicere supersedeo. Romani veteres viri prudentia & autoritate graues, saltationes omnes repudiarunt, nec vlla penes eos honesta matrona saltasse laudatur. Hic Sallustius improperat Sempronię q̃ cantasset saltassetque doctius quam conueniret probrę: quin & Gabino viro consulari atque M. Celio nimia saltandi pitia probro data est. & M. Cato L. Murenę, q̃ in Asia saltasset pro crimine obiecit, cui patrocinatus Cicero, id vt recte factum defendere non est ausus, sed cõstanter factum pernegauit: Nemo inquiens saltat sobrius ni forte insaniat, neque in solitudine, neque in conuiuio moderato atque honesto, intempestiui conuiuij, immoderati ioci, turpium delitiarum comes est extrema saltatio. Itaque saltationem necesse est omnium vitiorum esse postremum, neque vero facile dictu q̃ mala hic visus hauriũt & auditus, quæ pariant colloquia et tactus, Saltatur in conditis gestibus, & monstroso pedum stre pitu, ad molles pulsationes, ad lasciuas cantilenas, ad obscœna carmina, contrectantur puellæ & matronæ impudicis manibus et bassis, meretricijsque cõplexibus: & quæ abscondit natura, velauit modestia, ipsa lusciuia tunc sæpe nudantur, & ludi tegimine obducit scelus. Exercitiũ profecto nõ e cœlis exortum, sed a malis dæmonibus excogitatum

in iniuriam diuinitatis, quando populus Israel erexit sibi vitulum in deserto, cui cū sacrificassent cœperunt edere & bibere, & postea surrexerunt ludere, & cantantes saltabant in chorū. Hæc de chorearum saltationibus satis.

¶ De gladiatoria. Caput XIX.

NEc tamen me præterit hoc loci esse adhuc alia plæraq; saltationum genera a priscis scriptoribus celebrata, quorum maxima pars hodie obsoleta est, pars adhuc in usu est, vt saltatio armata, gladiatorię, chironomiæ, ac militiæ accommoda, tragicum profecto artificium, quo hominem innoxium occidere ludus est, ac lethale vulnus excepisse paulo cunctātius summa infamia. Execrandum omnibus artificium, cuius stultitiæ iuxta est impietas, & omnia eiusmodi saltationum genera, vt sunt vanitatis & impudētiæ plena, non tam vituperanda sunt, q̄ execranda, eo q̄ non aliud doceant q̄ mirificos quosdam ritus quomodo insanire oporteat.

¶ De histrionica. Caput XX.

HIstrionica autem saltatio imitationis & demonstrationis artificium est, res mente cōceptas, decenti gesticulatione explicans: tam clare & perspicue mores & affectus omnes repræsentās, vt spectator omnis histrionem q̄uis nihil loquentem, ex plurimis moribus & gesticulationibus clare intelligat: Tantum præstat histrionica, vt nullis prorsum sit opus interpretibus, tam apteenim senem, puerum, mulierem, seruum, ancillam, temulentum, iracundū, omniumq̄ personarum differentias & affectus iucunda gesticulatiōe repræsentat, vt etiam e longinquo spectator non audiens fabulā, ex sola histrionis saltatione illius intelligat argumentum. Hinc histriones

non parum in precio habitos legimus, constatque referente Macrobio, Ciceronem cum Roscio histrione (qui etiam Syllę dictatori charissimus fuit) contendere solitum, vtrum ille sæpius eandem sententiam varijs gestibus afficeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diuerso pronunciaret: q̄ res Roscium induxit, vt librum conscriberet, in quo eloquentiam compararet cū histrionica: verum Massilientium ciuitas (teste Valerio) tantæ grauitatis custos extitit, vt nullum aditum histrionibus daret, nec mimis, quia eorum argumenta magna ex parte stuprorum continerent actus, ne tali a spectandi consuetudo imitandi etiam licentiam faceret. Proinde vero exercere histrionicam non solum turpis & sceleſta occupatio est, sed etiam conspicere & delectari flagitiosum, siquidem & lasciuientis animi oblectatio cadit in crimen. Nullum denique nomē olim fuit infamius, quam histrionum, ac legibus ipsis arcebantur ab honoribus quicunq; fabulam saltassent in theatro.

De Rhetorismo. Cap. XXI.

ERat & saltatio rhetorica, histrionicæ nō dissimilis, sed remissior, quam Socrates, Plato, Cicero, Quintilianus, ac stoicorum plurimi admodum vtilem ac oratori per quam necessariam arbitrati sunt: quatenus apto quodam corporis gestu, vultus & corporis composita adformatione constat, tum vigore oculorum, pondere vultus, accommodatoq; singulis verbis ac sententijs sono vocis, cum efficaci corporis motu ad ea quæ exprimuntur, sed gesticulatione tenus. Hæc autem saltatoria siue histrionica. Rhetorica porro apud quosque oratores tandem exulare cœpit, admonente Tiberium Augusto, vt ore non digitis loqueretur, & iam in totum sublata est, dun

taxat a scenicis aliquot fraterculis adhuc colitur (quamuis olim ab ecclesia histriones etiam sacro communionis sacramento illis denegato depulsi essent) quos hodie aliquos videmus mira vocum contentione, vultu multiformi, oculo vago & petulãti, iactatis brachijs, saltantibus pedibus, lasciuientibus lũbis, ac varijs motibus, inuersionibus, circũductiõibus, resupinationib. saltib. gesticulãte toto corpore, ani videlicet mobilitate ipm secum voluente, populares cõciones ad plebẽ a suggesto proclamare: memores sottassis Demosthenis sententiæ, qui (vt est apud Valerium) interrogatus, quidnam esset in dicendo efficacissimum, respondit hypocrisis: iterum deinde & tertio interrogatus, idem dixit, ac pene totam dicendi vim huic deberi: sed ne a matheſi lõgius progrediamur, ad geometriam nunc properemus.

De Geometria. Cap. XXII.

IPsa geometria quam Philo Iudęus principem & matrem omnium disciplinarum appellat hanc præ cæteris disciplinis laudem habet, q̃ cum inter omnium ferme disciplinarũ sectas magna & innumera sint certamina, geometræ omnes vndiq; sibi consonant: nec aliqua vnquã de illa inter ipsos est contentio, nisi q̃ de punctis, de lineis, de superficiebus adhuc disputant, sint ne hæc diuisibilia an indiuisibilia, cæterum non discrepant abinuicem, nec doctrina, nec traditiõe: sed quisque alterum nouis vel subtilioribus inuẽtis, & quæ nunquam quisquam excogitauit, nititur superare. Nullus tamen geometra adhuc circuli veram quadraturam inuenit, nec costæ æqualem lineam dedit, licet Archimedes Siracusanus, hæc se quondam inuenisse putabat, & multi posteri vsq; in hæc tempora idipsum, sed frustra quo

dammodo conati sunt licet proxima dixisse videantur. Ea tamen est eorum ambitio, vt priorū traditionibus nunquam acquiescant, sed in talibus amplius aliquid quam magistri eorum inuenire putantes, seipsos in tantam insaniam agunt, quā vniuersæ terræ elleborum non sufficiat expurgare. Ab ipsa autem geomotria vltra hoc quod lineamenta, formas, interualla, magnitudines, corpora, dimensiones atque pondera rimatur, dependent quæcunque organica ingeniosa opificia, artificiosaque instrumenta, manganaria, machanopocetica, poliorcetica, tā bellorū q̄ architecturæ, cæterorūque vsibus accōmoda, vt arietes, testudines, cuniculi, catapultæ, scorpiones, exostræ, sambucæ, scalæ, tolleones, turres ambulatoriæ, heliopoles, naues, triremes, pontes, molæ. Item bigæ, trigæ, quadrigæ, trocleæ, clicleolæ, rotæ, vectes, & q̄buscunque immania pondera vi minima trahuntur aut attolluntur. Præterea quæcunque aut pondere, aut aqua, aut spiritu, aut neruis & funiculis constant, sicut horologia quæ pondere gradiuntur, & quæ ventorum impulso resonant organa, etiam quæcunque hydraulica & spiristica instrumenta, & quæ ex his etiam non nisi ad voluptatem admirationemq; fabricata sunt, vt pilæ sponte saltantes, lucernæ suas sibi producentes stupas & oscula seu cucurbitæ sponte ignem sufflantes, & quale Politianus narrat animal, quod dum secatur in mensa, bibit interim viuentisque repræsentat motus atque voces, cuiusmodi forte artificio narrat Mercurius Aegyptios deorum confinxisse simulacra, vt articulatam promerent vocē atque progrederentur. Ille etiam Architas Tarentinus ligneam columbam sic geometricis rationibus constituxit, vt surgeret in altū, & volitaret,

Iam vero & Aechimedes primus æneum cœlum tanto artis opificio fabricasse legitur, vt inibi planetarum omnium motus planissime deprehenderentur, simulq; singularum cœlestium sphærarum vertigines, cuiusmodi etiam proximis his diebus fabricatum vidimus. Ex hac arte simul prodeunt tormentorum varia genera & bombardæ, cæteraq; instrumenta igniuoma, de quibus ego nuper sub titulo pyrographiæ specialem librum compo sui, cuius nunc tandem pœnitet, cum nihil nisi pernicios simum magisterium doceat. Denicq; quic quid artificij est i pictura, in cosmimetria, in agri cultura, in arte bellica, in fusoria, in plastica, in statuaria, in fabrili, in architectura, in metallica, totum hoc vel potissimum a geometria est.

De optica vel perspectiua. Cap. XXIII

A Geometria itaq; proxima est optica, quã vocant perspectiuam: deinde cosmimetria atq; architectura. Perspectiua autẽ siue optica hæc triplicem videndi rationẽ directam, reflexam, refractamq; pertractat: quid lux, quid vmbræ, quid interualla edocet: causasq; visibilium, quæ per interualla falsa videntur, deprehendit: radiorumq; proiectiones inquirit, per vnum seu plura perspicua super diuersas corporũ figuras: tum vmbrarum & lucis figurationes, atque quæ rebus, quæ visui, quæ medio accidant: atque quomodo res & visio, ex medij diuersitate, vario modo afficiantur commonstrat. De ratione autem vidẽdi, variæ & dissonæ opiniões sunt. nam Plato secundum conclaritatem visum fieri arbitratur, videlicet ea quæ ex oculis est luce defluente ad vnum extrinsecum aerẽ, ea quæ a corporibus est luce obuiam relata: ea vero quæ circa aerem medium est facile effusibili, vertibiliq; co-

extentæ igniformi visus virtuti. Galenus concorditer sentit cum Platone: verum Hipparchus ait radios ab oculis extensos, vsque ad corpora ea, quasi palpitatione quadam, tangentes susceptionem eorum ad visum reddere: Epicurei autem simulacra eorum quæ apparent sese oculis ingerere affirmant. Aristoteles autem simulacra non quidem corporea, sed secundum qualitatem per alterationem aeris, qui in circuitu est, a visibilibus vsq; ad visum deuenire censet. Porphyrius vero neque radios, neq; simulacra, neq; aliud quicq; videndi causam ait, sed animam ipsam seipsam cognoscentem visibilem, & quæ vna est omnium seipsam in omnibus quæ sunt cognoscere. Verum geometræ & optici Hipparcho quodammodo accedentes, conos quosdam ex coincidentia radiorum factos subscribunt, quæ per oculos emittuntur, vnde multa simul visibilia comprehenderevisum, sed illa certissima, vbicunq; radij coincidetrint: sed enim Alchindus de aspectibus omnino docet aliud: verum Augustino videtur animæ potentiam in oculo aliquid efficere, quod a sapientiæ studiosis necdum sit perueſtigatum. Hæc itaq; scientia ad deprehendendum cœlestium corporū varietatem, distantiam, magnitudinem, motum, eorumq; reflectiones & refractiones permultum conducit: architecturæ etiam in metiendis ædificijs inseruit. Proxime tamen pingēdi artificio atque speculorum fabricæ plurimum confert ornamenti, vt sine ipsa hæ artes perfici nō possint. Mōstrat enim qua ratione, nec abnumera, nec deformia fingamus in imaginibus, quæ cernuntur interuallorum & altitudinum causa.

¶ De Pictura. Cap. XXXIIII.

Pictura itaq; ars monstrosa, sed imitatione rerum naturalium accuratissima, lineamentorum descriptione & colorum debita appositione constans: hæc olim tanto in precio fuit, vt primum gradum liberalium artium obtineret. Ipsa vero non minus libera est, atque poesis, sicut bene cecinit Flaccus.

Pictoribus atque poetis,
Quælibet audẽdi, semper fuit æqua potestas.

Dicitur enim pictura non aliud quam poesis tacens, poesis vero pictura loquens, tam sunt sibiin uicem affines. Nam sicut poetæ, sic pictores historias & fabulas fingunt, omniumq; rerum imagines, lumen, splendorem, vmbras, eminentias, depressiones exprimunt: illud præterea ex ipsa optica habet pictura, vt visum decipiat, ac in vna imagine uariato situ, plures species intuentium oculis obfundat: & quo statuaria pertingere non potest, ipsa peruenit: pingit ignem, radios, lumen, tonitrua, fulmina, fulgura, occasum, auroram, crepusculum, nebulas, hominisque affectus, sensus animi, ac pene vocem ipsam exprimit: & mentitis dimensionibus, commensurationibus, q̃ non sunt, tanquam ea quæ sunt, aut quæ non ita sunt, ita tñ videri facit. Quẽadmodũ de Zeusi & Parrhasio pictoribus narrant historici: q cũ de artis p̃rogatiua veniſſent in certamen, & prior detulisset vuas pictas, tanta similitudine, vt aues aduolarent: alter detulit pictum velum, sic veritatem mentiens, vt ille auium iudicio tumens postularet deducto velo ostendi picturã: tandem agnito errore, coactus est illi palmam deferre, quum ipse aues fefelliſſet, Parrhasius vero artificem. Et narrat Plinius in ludis Claudij fuisse picturæ admirationẽ, cũ ad tegulas similitudinem corui decepti

imagine aduolarunt. Iam vero et celebri triumuiratu narrante Plinio, experimento compertū est, auium cantus depicto dracone cohibitos. Habet insuper hoc pictura, vt omnibus suis operibus plus semper intelligatur, dijudicetur quam conspiciatur: sicuti diligentissime hęc scrutatus est Plutarchus in suis Iconibus: cumq; ars summa sit, ingenium tamen vltra artem est.

De statuaria & plastica. Cap. XXV

PIcturam comitatur statuaria, & plastica, fusoria, & criptica, importuni ingenij artificia quæ tamen et iam sub architectura comprehendi possunt. Statuaria ex lapide, ligno, ebore, rerum idola fabricat: eademq; ex gleba fingit plastes. Ars autem fusoria hæc in proplaste, ex ære aliisque metallis exprimit. Criptícus vero lapidibus & gemmis insculpit. Scripsit de istis e recentioribus Pomponius Gauricus, verum omnes hæ artes pariter cum pictura ad ostentationem & libidinem superstitionemq;, a malis puto dæmonibus repertæ sunt, cuius artifices fuerunt qui primi iuxta verbi Pauli commutauerunt gloriam incorruptibilis dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum: qui contra diuinum præceptum vetās idolum sculptile, & similitudinem, tam eorum q̄ in cœlo sursum quam quæ in terra deorsum, fieri, odiosissimam deo idololatriam introduxerunt, de quibus ait Sapiens. Idolum ipsum maledictum est & qui fecit illud, & quod factum est tormenta patientur: Vanitas enim hominum (vt ait idem) inuenit artes istas in tentationem animę hominū & in decipula m insipientium, & adinuentio illarum, corruptio vitæ est. Nihilominus tamen nos

Christiani præ cæteris gentibus sic desipimus, vt hanc vitæ & morum corruptelam, vbicq; in atrijs in domibus, in cubiculis tenere non pudeat, quo lasciuis imaginibus nostræ matronæ filiæq; ad lasciuiam inuitentur: quin etiam hæc in templa, in sacella, in aras dei, magnis venerationibus traducimus, non absque idololatriæ periculo: sed hoc latius in religione disputabimus. Verum ineſſe picturis atque statuis non contemnendam autoritatem ego olim in Italia didici: nam cū fratres Augustiniani cum canonicis regularibus coram Romano pontifice de beati Augustini habitu, videlicet nigram ne ille stolam super alba tunica, an candidam super nigra induisset. pertinaciter litigarent, atq; ex scripturis quod ad hanc litem dirimendam faceret, nihil compertum haberetur. Visum fuit Romanis iudicibus rem omnem ad pictores & statuarios delegare, vt quod illi ex vetustis picturis atq; statuis adsererēt, sentētiæ haberet vigorem. Hoc exemplo confirmatus ego, cum aliquando inde fatigata diligentia monachalis, cucullæ originem inuestigarem, nec quicquam in de ex scripturis inuenire potuissem, tandem ad pictores me contuli, atq; in istis fratrum procœstrijs atque porticibus, vbi vtriusque testamenti historiæ, vt plurimum depictæ cernuntur, rem perquisiui, cumque in toto vere testamēto nullum ex patriarchis, neque ex sacerdotibus, neque exprophetis, neque ex leuitis, neque Heliam ipsum, quem licet Carmelitæ sibi faciūt patronum, inueniſſem cucullatum: nouum testamentum adgressus, inueni illic Zachariam, Simeonem, Ioannem Baptistam, Ioseph, Christum, apostolos, discipulos, scribas, phariseos, pontifices, Annam, Caypham, Herodem, Pilatum, & plerosque alios nullā vspiā

conſpexi cucullam, rurſuſq; ab initio omnia & ſingula diligenter examinans, mox in ipſo fronte hiſtoriæ ſeſe offert cucullatus diabolus, ille videlicet qui erat Chriſtum tentans in deſerto. Gauiſus ſum plurimum reperiſſe me in picturis quod hactenus nequiui in literis, diabolum ſcilicet fuiſſe primum cucullæ autorem, a quo deinceps puto cæteri monachi & fratres hãc ſub diuerſis coloribus mutuarunt, aut forte velut hæreditario iure ſibi relictam acceperunt.

De Specularia. Cap. XXVI.

SEd nunc ad opticam reuertamur, quæ etiam ſpeculorum artificio plurimo eſt adiumento, omnium illorum affectiões & impoſturas indicans, quorum experimenta patent in varijſpeculorum generibus, vt ſunt caua, conuexa, plana columnaria, pyramidalia, turbinalia, gibboſa, orbicularia, angularia, inuerſa, euerſa, regularia, irregularia, ſolida, perſpicua. Sic legimus narrante id Celio in antiquis lectionibus Auguſti temporibus, Hoſtium virum quendam ſed obſcœnitatis facile principem, feciſſe eius notæ ſpecula, quæ imagines longe maiores redderẽt, vt digitus brachij menſuram & longitudine & craſſitudine excederet. Fit quoq; ſpeculum in quo quis alterius videt imaginem, nõ ſuam. Et aliud quod in certo loco poſitum nihil imaginet, aliorſum vero tranſlatum facit imagines: Item quod inuerſas reddat imagines, & quod vnius rei plures reddat imagines. Et aliud quod contra aliorum ſpeculorũ morem dextrum reddit dextro, & ſiniſtrum ſiniſtro. Et fiunt ſpecula comburẽtia anterius & poſterius atque aliud quod ſuſceptam imaginem non intra ſe repreſentat, ſed remotius extra ſe in aera reijcit ibique tanquam aereum ſimulacrum apparere fa

eit, ignemq; collectis in se solis radijs per remota spacia in quodcunq; combustibile potenter incutit, & eiusmodi plura qualia vidimus aliquando & fabricare nouimus, habent etiam pspicua specula suas imposturas, videlicet vt rem magnam apparere faciant paruam, et contra quæ minima sunt apparere magna, et quæ remota sunt propin qua, aut quæ propinqua sunt videantur remota, quæ infra pedes sunt sursum, & quæ supra nos sunt hæc infima, alioue situ sese conspectui nostro offerant. Sunt & per quæ vna res videtur plures, & alia quæ res ipsas diuersis coloribus, vt in iride aut sub diuersis dissimilibusq; figuris decepto visu repræsentant, & rjs similia. Et noui ego fabricare specula, in quibus lucente sole omnia quæcunque illius radijs illustrantur per remotissima spacia, puto trium aut quinq; miliarium pleniſſime conspiciuntur. Est & illud in planis speculis mirãdum, vt quanto minora sint pro eorum modulo rem repræsentent seipsa minorem, quantumcunque autem maxima nũquam tamen rem ipsam seipsa reddent maiorem, quod considerans Augustinus ad Nebridium scribens, aliquid occultum illic latere putat, atque tandem hæc omnia vana & superuacua sunt, nec nisi ad ostentationem & ociosam delectationem adinuenta: scripserunt de speculis, cum Græci, tum Latini perplures præstat autem omnibus suis Vitellius.

De cosmimetria. Cap. XXVII.

DEinceps nunc cosmimetriam paucis discutiamus, atq; hæc in cosmographiam & geographiam diuiditur, vtraq; orbem mensurat atq; distinguit, sed prior iuxta cœlestium rationem ex illorum distinctione, terratum & loco-

tum illis subiectarum situs, per graduum & minutorum mensuras commensurat, rationesq; climatum, dierumq; & noctium discrimina, ventorum cardines, syderum varios exortus, polorum eleuationes, parallelos & meridianos, gnomonum vmbras, & quæ ad hæc reliqua sunt, ad singula loca mathematicis rationibus edocet. Altera vero nulla adhibita cœlestium ratione, orbem per stadia & miliaria mensurat, ac per montes, syluas, lacus, flumina, maria, & littora distinguit, gentes que ac populos, regna, prouincias, ciuitates, portus, & quæ inter cætera memorabilia sunt commonstrat:

Ac patrios omnes cultus habitusq; locorum,
Et quid quæq; ferat regio, & quid ferre recuset:

Explicat, ac imitatione quadam picturæ, iuxta geometriæ & perspectiuæ rationes, orbem omnẽ in globo vel plana tabula effingit.

Pingens in paruo totum volumine mundum.

Sub ijs generibus quidam chorographiam numerant, quæ partialia quædam loca seorsum explorando perfectiore insuper & quasi cõsummata effigie depingit.

Ornatu vario partes distincta per omnes.
Vitibus & syluis pratorum, fontibus agris.
Aequora quæq; rigant humẽtia flumina corpus
Inq; humiles valles premitur, vbi surgit in altũ.
Verticibus celsis tollens ad æthera montes.

Hæc omnia, & quæ antea diximus, ipsa nobis cosmimetria pollicetur: sed qui nos illa docturi sunt autores, inter se tantum non vna discordia pugnant de limitibus, longitudinibus, latitudinibus, magnitudinibus, mensuris, distantijs, climatibus, eorundem habitudinibus admodum a se inuicem discrepantes: Quæ aliter Eratosthenes,

aliter Strabo, aliter Marinus, aliter Ptolemæus, aliter Dionysius, aliter iuniores distinxere. Nec de terræ vmbilico inter eos conuenit, quem Ptolemæus sub æquinoctiali circulo collocat, Strabo Parnasum, Græciæ montem credidit, cui assentiunt Plutarchus & Lactantius grammaticus, putantes illum cataclysmi tempore, aquarum cœlique fuisse discrimen. Quemadmodum de hoc canit Lucanus.

Hoc solum fluctu terras mergendo cacumen
Emicuit, pontoq; fuit discrimen & astris.

Quod si hæc ratio ad reuincendũ satis est, erit vmbilicus terræ non in Parnaso Græciæ, sed in Gordico Armeniæ monte: Qui (teste Beroso) primus a diluuio emicans Noe arcam excepit. Alij alia adferunt, & quo modo Aquilarum volatu medium terræ inuentum sit: Sunt etiam & Theologi, q falcem suam in hanc messem mittentes, Hierosolymam medium terræ esse volunt, quia scriptum sit per prophetam: deus operatus est salutem in medio terræ. Accedunt ad hanc censuram Lucretius Lactantius, & Augustinus, qui antipodas tam constanter negarũt. Atq; illi insuper qui extra Europam, Asiam, Africam, alium habitabilem orbem inficiarunt: Quæ tamen Hispanorum Lusitanorumq; nauigationibus, posteris nobis secus comperta sunt, qui etiam totam sub zodiaco zonam contra poetarum nugas ac Aristotelis falsam opinionem habitatam monstrarunt: Alios p̃terea geographorum plerosq; errores, superius inter historicos recitauimus. Verum hæc ars, dum terram immensam, & inscrutabilia maria, insularumque & regionum omnium situs, limites & insignia, ac innumerabilium pariter gentium ignotas origines, ritus, mores discrimina, nos docere

conatur, nullum alium fructum inde percipimus, nisi q̃ dum aliena auidius scrutamur, nos ipsos di scimus ignorare. Et vt ait Augustinus in confessi onibus: Eunt homines admirari alta montium & ingentes fluctus maris, & latissimos lapsus flumi num & oceani ambitum, et gyros syderum, et re linquunt seipsos. Plinius quoque insaniam esse di cit, metiri terram, quam dum metimur sæpissime mensuram egredimur.

De Architectura. Cap. XXVIII

ARchitectura autem non dubium, quin per multum commodi ornatusque adferat, et publicis & priuatis ædificijs, hæc parietes & tecta, pistrinas, & vehicula, pontus, & naues, fana, templa, delubra, mœnia, turres, & o mnis generis machinas (quibus res hominum tã publicæ quam priuatę tuentur ornãturque) nobis largitur, disciplina alioqui perneccssaria & hone sta, si non admodum fascinaret mortalium ani mos, vt nemo ferme reperiatur (mo do facultates non desint) qui non totus cupiat etiam bene con structis semper aliquid coædificare: Quo insatia bili ædificandi studio desiderioque effectum est, ut huius rei nullus statutus sit modus neq; finis, hinc abscissæ rupes, completæ valles, acti in planum montes, perfossa saxa, & adaperta mari promon toria, excauata terræ viscera, deducta flumina, iuncta maribus maria, exhausti lacus, exiccatæ paludes, coercita æquora, scrutata que maris pro funda, factæ nouæ insulæ, rursusque aliæ restitutæ continenti: Quæ omnia & his plura, quum cum natura ipsa pugnent, sæpe tamen non modicam vniuerso orbi commoditatem attulerunt. Sed cõparemus his quæ nullo prorsus alio mortalibus

sunt vsui, quam ad admirandum spectandum que, & (vt ait Plinius) ad ociosam & stultam pecuniæ ostentationem, ingentibus sumptibus structa sunt: cuiusmodi sunt Aegyptiorum, Græcorum, Hetruscorum, Babyloniorum, ac cæterorum aliquot gentium superstitiosa operum miracula, labyrinthi, pyramides, obelisci, colossi, mausolei Rapsinatis, Sesostris, & Amasis monstruosæ statuæ: atque sphynx illa miranda, in qua rex Amasis conditus putatur: Erat enim (vt ait Plinius) e saxo naturali elaborata & rubrico, capitis monstri ambitus per frontem centum & duos pedes colligit, longitudo centum quadragintatres. Sed & sunt his maiora, opus Memnonsis atque Semiramidis in Bagisiano Mediæ monte, vasta stadiorum septem & decem effigies. Quæ tamen longe superasset, quicunque ille Architectus fuit, siue Stesicrates (vt refert Plutarchus) siue Dinocrates (vt refert Vitruuius) qui ex Athos monte Alexandri effigiem facturum se pollicebatur, in cuius manu ciuitas assideret, decem millia hominum capax. Adnumeremus istis Babylonicam speculam, cuius basis (teste Herodoto) quaque versus stadium adimpleuit: atque turrim illam, quæ in profundo mari vitreis cancris, superextructa memoratur. Accedant etiam Gordianæ ædes & arcus triumphales, & deorum templa, & præcipue illud Dianæ Ephesiæ, per annos ducentos a tota Asia fabricatum. Et quod in Aegypto ad Latonæ tẽplũ cõstructũ, vno lapide sacellũ, latum fronte cubitos quadraginta, idipsumq; vno etiam lapide contectum: ac Assyriꝝ regis Nabuchodonosor statua, ex auro sexaginta cubitorum magnitudine, quam non adorasse capitale fuit:

atq; alia cubitorū quatuor, ex ingenti topasio Aegyptiæ reginę facta: Huc spectant & nostris diuis templa superbissimis fastigijs extructa, & in miram altitudinem (congesta ingenti saxorum mole) erecta campanilia, multis admodum sacris pecunijs & eleemosynis profusis, quibus multi pauperes CHRISTI vera dei templa & imagines, interea, fame, siti, algore, ægritudine, ægestateque periclitantia, rectius ædificari & sustentari potuissent, deberentque. Cæterum vero quantam perniciem hæc ars sæpissime adferat hominibus, ipsæ hostiles arces, bellorumque machinæ, cataphractæ, scorpiones, balistæ, cæteraque subuertendæ mortalium vitæ instrumenta deuictique horum ingenio populi testes sunt. Neque id in terra modo, cum etiam naues castrorum ac arcium instar fabricare docuerit, quibus periculosa maria non tam nauigamus quam habitamus, & cum natura sua mille periculis nobis infesta sunt, his nauigijs reddimus infestiora, in illis non secus, ac in solida terra latrocinantes bellaque gerentes: Scripserunt de architectura primus Agatarchus Athenienſis, postea Democritus & Anaxagoras, deinde Silenus, Archimenides, Aristoteles, Theophrastus, Cato, Varro, Plinius: demum Vitruuius, Nigrigentus: Ex recentioribus autem Leo Baptista, frater Lucas, Albertus Durrerius.

De metallaria. Cap: XXIX.

ARchitecturæ quoq; subest ars metallica, ars rerū non modici ingenij: Primum siquidem ex telluris montiumq; superficie q̄ q̄quo loco venæ intus sitæ sunt, q̄ illarū extensiones, exitus, fibræ, cognoscere docet: et quo

modo excauatis terræ viscerib⁹ montium moles substruendæ sunt: de quibus scripsit apud veteres Strato Lampsacenus librum, quem de machinis metallicis intitulauit. Porro quemadmodum ex erutis minerarum lapidibus, ignis liquamine pura metalla excoquant, eaque si mixta sint a seinuicem discernantur, aut nulli, aut pauciss̄imi hactenus integre tradiderunt: Forte q̄ ars hæc veluti mechanica & seruilis a doctis quibusq̄ & liberis ingenijs despecta sit: verum quum ego ante aliquot annos a Cæsarea maiestate aliquot mineris præfectus essem, omnia quantum potui indagatus, cœpi de illis specialem librum scribere, quem adhuc vsque in manibus habeo, continuo pro maiori rerum notitia a daugens & corrigens sperans me quod tum ad metallorum inuentionem, tum cognitionem, tum venarum examinationem & conflationem, montiumq̄ substructionem, & tractoriar⁹ machinarum, cæteraq̄ artificia hactenus incognita p̄tineat, nihil omissurum. Hac arte oēs humanæ cōstant opes, quar⁹ auaritiæ tāta mortales libido inuasit, vt viui ad inferos vsq̄ penetrēt, & magna naturæ ruina in sedibus manib⁹ q̄rant diuitias, vt canit Ouidius.

Itum est in viscera terræ.
Quasq̄ recōdiderat stygijsq̄ admouerat umbris
Iamq̄ nocens ferrum, ferroq̄ nocentius aurum
Prodierat, cuius dira cupidine tandem.
Omne nephas, fugere pudor, verumq̄ fidesq̄
In quorum subiere locum fraudesq̄ doliq̄
Insidiæq̄, & vis, & amor sceleratus habendi.

Et vt alius Poeta inquit:

Auro pulsa fides, auro venalia iura.

Pessimū igit̄ vitæ scelus iuenit, q̄ cunq̄ primus aurifodinas cæterasq̄ metallor⁹ venas reperit, &

(vt ait Plinius) tanto nocentiores fecerunt illi terras, vt non minus temerarij sint, quam qui e profundo maris petunt margaritas. Inuētum autem multis quidem, sed dissonantibus historiographis attribuitur. Præcipui vero plumbum in insulis quæ Cassiterides dicuntur contra Celtiberiam sitis primo inuentum tradūt. Aes autem in Cypro, ferrum in Creta, sed aurum & argentum apud Pangeum Thraciæ montem: demum orbem omnem infecerunt, soli Scytarchæ (vt refert Solinus) vsum auri & argenti damnarunt in æternum: sese a publica auaritia abdicantes de auri superfluitate, apud Romanos olim veteri interdicto cautum erat, eratque lex censoria victimi aliarum aurifodinæ qua (vt ait Plinius) in Vercellensi agro cauebatur, ne plus quinq; hominum publicani haberent, atque vtinam homines eo studio ferrerentur in cœlum, quo scrutantur terræ viscera, sola diuitiarum vena pellecti, quæ beatum hominem adeo facere non possunt, vt multos admodū idq; non raro pœniteat insumptæ operæ.

De Astronomia Caput XXX.

VPremo iam loco sese offert astrologia, q̄ & Astronomia, tota prorsus fallax, poetarumque fabulamentis multo nugacior, cuius magistri audaces profecto homines & prodigiorum autores, impia curiositate pro eorum libito supra humanam sortem (tāquam Basilides hæretici abraxas) fabricant orbes cœlorum, syderū mensuras, motus, figuras, imagines, numeros, cōcentusque, tanquam nuper e cœlis delapsi, ac in illis aliquandiu versati depingunt, quibus omnia stare ac fieri atque sciri posse arbitrantur, de ijs ipsis tamen admodum inter se dissidentes, contrarij, & adhuc pugnantes, vt cum Plinio dicere nō

dubitem huius artis inconstantiam palam arguere ipsam esse nullam. Cum de eius etiam principijs aliter sentiant Indi, aliter Chaldæi, aliter Aegyptij, aliter Mauri, aliter Iudæi, aliter Arabes, aliter Græci, aliter Latini, aliter antiqui, aliter recētiores: Nam de numero sphærarum tractantes, Plato, Proclus, Aristoteles, Auerrois, ac omnes fere me ante Alfonsum astrologi præter paucos octo dūtaxat sphæras numerarunt. Hermetem tamen & aliquot Babylonios, dicunt Auerrois & Rab. Isaac nonum orbem posuisse, cui opinioni adhærer Azarchelos, Maurus atq; Tebith, & idē doctus Rab. Isaac & Alpetragus, quibus adstipulatē Albertus Teutonicus, suo æuo nescio q̄ facinore magnus, & oēs q motū accessus & recessus probauerunt: iuniores aūt astrologi nunc decē orbes censent, q̄s ipse Albertus etiā Ptolemęum tenuisse putat, Auerrois quoq; nouē illum censere arbitratus, cum tñ re vera non plures octo adfirmet Ptolemæus: Sed & Alfonsus secutus aliquando iudiciū Rabi Isaac cognomēto Bazam, nouē sphæras tenuit, sed post quatuor annos ab editione tabularū suarū adhærēs sententijs Albuhassen, Mauri, atq; Albate, sese reuocauit ad octo, ipse etiā Rab Abraam Auenazre, & Rab. Leui, ac Rab Abraam, Zacutus, nullū orbē mobilē supra octauū esse autumāt. Sed et de motu octaui orbis ac stellarū fixarū admodū inē se variāt. Chaldęi em̄ atq; Aegyptij illū vnica dūtaxat latione ferri affirmant, q̄bus assentiunt Alpetragus, & ex recētioribus Alexander Aquilinus: cæteri autē astronomi ab Hipparcho ad nostra vsq; tēpora, illum plurimis motibus circumagi dicunt: Iudæi Talmudistæ illi duplicem motum assignant: Azarcheles atque Tebith & Iohannes de monte regio motum trepi

dationis, quem dicunt, accessus & recessus, super paruis circulis circa capita Arietis & Libræ illi adscripserunt, sed in hoc a seinuicem differentes, q̃ Azarcheles ait caput mobile a fixo nõ plus de cem partibus distare posse, Tebith aũt non plus partibus quatuor, cum decem & nouẽ ferme minutijs, Ioannes de regio monte non partibus octo, atque idcirco stellas fixas non semper ad eandem mundi partem vergi, sed quandoque reuerti unde cœperunt, arbitrantur: sed PTOLOMAEVS, Albategni, Rab. Leui, Auenazre, Zacutus, & inter recentiores Paulus Florentinus & Augustinus Ritius, mihi in Italia summa familiaritate deuinctus, stellas iuxta signorum successiones, semper & continuo moueri affirmant: Recẽtiores autem astronomi triplicem octauæ sphæræ motum attribuunt, vnum proprium, quem trepidationis diximus, qui in septem millibus annis semel compleatur: alterum, quem gyrationis dicũt, a nona sphæra, cuius circumuolutio non minus quam quadraginta nouem millibus annis finiatur: tertium a decimo orbe, quem vocant motum primi mobilis, siue motum raptus, siue diurnum, qui intra diem naturalem ad principium suum quotidie reuertitur. Præterea qui duplicem motum octauæ sphæræ attribuerunt, non omnes inter se conueniunt: nam recentiores ferme omnes, & qui trepidationis motum admittunt, eam a superiori sphæra rapi argumentantur, sed Albategni, Albuhassen, Alfraganus, Auerrois, Rabi, Leui, Abraam, Zacutus, Augustinus, Ritius, motũ diurnum, quem alij motum raptus putant: arbitrantur non esse alicuius sphæræ propriũ, sed a toto fieri cœlo. Ipse etiam Auerrois ait Ptolemæum in quodam libro suo (quem narrationum inscripsit)

negare motum gyrationis: & Rab. Leui ait illum cum Auerroe sensisse motum diurnum fieri a toto cœlo. Rursus nunc de mensura motus octaui orbis & stellarum fixarum non magis conueniunt: Nã Ptolomæus arbitratẽ stellas fixas moueri in centũ annis vno gradu, Albategni hoc fieri cõtendit in sexaginta sex ãnis Aegyptijs, cui assentiũt Rab. Leui, Rab. Zacutus, et Alfonsus in correctione tabularum suarum: Azarcheles Maurus ait, in septuaginta quinq; annis vno gradu moueri, Hipparchus in septuaginta & octo Hebræorum: plures, vt Rabi Iosue, Rabi Moyses, Maymonus, Rab. Auenazra, & post illos Haly Benerodã, in septuaginta annis Iohãnes de monte Regio in octoginta. Augustinus Ritius medium tenet inter opiniones Albategni & Hebræorũ, sentiens stellas fixas vnam cœli partem non citius quam sexaginta sex, nec tardius quam septuaginta annis moueri: sed & Rab. Abraam Zacuti (vt narrat Ritius) testatur ex Indorum traditione, esse adhuc in cœlo duas stellas sibi diametraliter oppositas, quæ cursum suum contra signorum ordinem, non nisi in centum & quadraginta quatuor annis cõpleant. Ipse etiam Alpetragus arbitratur esse adhuc in cœlis varios motus hominibus ignotos: q; si ita est, possunt & inibi esse stellæ & corpora, q; bus motus illi conueniant, quæ aut cernere homines non possunt, propter exuberantiam altitudinis, aut hactenus nulla adhuc artis obseruatione deprehenderũt: cui assentit etiam Fauorinus philosophus apud Gellium in oratione sua aduersus Genethliacos. Restat igitur nullum adhuc astromum e cœlis descendisse, qui vel motum aplanes verum certumque nos docere potuerit: Nec ipse etiam Martis verus motus, hucusq; cognitus fuit,

quod ipse etiam conqueritur Iohannes de monte regio, in epistola quadam ad Blanchinum. Eiusdemque motus errorem etiam quidã Guilhelmus de sancto Clodoaldo insignis astrologus, in suis obseruationibus ante ducentos & plures annos scriptum reliquit, nec posterum quispiam hunc hactenus correxit. Quin & verum solis ingressum in pũcta æquinoctialia inuenire impossile est, quod Rab. Leui multis rationibus probat. Sed quid dicemus de postea cõpertis, quomodo circa illa aberrarũt priores: Nam multi cum Tebith maximã solis declinationẽ continuo uariari arbitrati sunt, cum tamen vna semper mensura feratur. Aliter tamen de illa opinatus est Ptolomæus, aliter cõpertum est per Albaten, Rab. Leui, Auenazram, & Alfonsum, Similiter etiam de motu solis, & anni mensura, aliter illi compertum habent, q̃ Ptolomæus & Hipparchus tradiderũt. Similiter de motu augis solis, aliter Ptolomæus, aliter Albategni, & cæteri sentiunt. De cœli insuper imaginibus, ac stellarum fixarum considerationibus: aliter Indi, aliter Aegyptij, aliter Chaldæi, aliter Hebræi, aliter Arabes, aliter Timotheus, aliter Arsatilis, aliter Hipparchus, aliter Ptolomæus, aliter recentio res tradiderunt, Transeo hic de cœli principio, de xtro atq; sinistro, quam desipiunt narrare: de quibus tamẽ Thomas de Aquinas & Albertus Teutonicus superstitiosi Theologi, dum aliquid seriose dicere conarentur, nihil inuenire potuerũt quod ostenderent, nec vllus certe inuenire poterit vnq̃. Quin & galaxias, hoc est, lacteus circulus qd sit adhuc ab astrologis ignoratur: Transeo etiam de ecentricis, cõcentricis, epicyclis, retrogradationibus, trepidationibus, accessibus, recessibus, raptibus, cæterisque motibus, & motuum circulis ser-

monem prorogare, cum omnia hæc non sint nec dei nec naturæ opera, sed mathematicorum monstra, & fingentium nugæ, a corrupta philosophia & poetarum fabulis deriuata, quibus tamen veluti rebus veris & a deo creatis, aut a natura firmatis, non pudet magistros illos tantum attribuere fidei, vt in has nugas veluti causas referant q̃cunque in istis fiunt inferioribus, illosque confictos motus dicunt esse principia omnium motuum inferiorum. Astronomos istos Anaximenis serua non spernendo dicto opportune castigauit: hæc enim consueuerat vna cum Anaximene ambulare, qui cum quodam die sydera inspecturus, domo maturius exiuisset, immemor situs loci, dum sursum cœlum intuendo explorat astra in subiectam cecidit foueã, dixitq; tũc ancilla, miror here, qua ratione quæ in cœlo sunt præscire existimas, cum quæ sunt ante pedes, nequeas præuidere? Legitur eadem facetia Thales Milesius ab ãcilla Thressa correptus: haud absimile de illis ait Tullius, inquiens, Astrologi dum cœli scrutantur plagas q̃d ante pedes est nemo eorum spectat. Ego quoque hanc artem a parentibus puer imbibi, deinde non modicum temporis & laboris in ea amisi, tandẽ didici totã hanc & oẽm nullo alio fundamẽto inniti nisi meris nugis, & figmentis imaginationũ, tædetque & pœnitet insumptæ olim operæ, cuperemque omnem illius memoriam vsumque expoliare, abiecique iamdudum ex animo: nec reassumerem vnquam, nisi me potentum violentæ preces (q̃ solent nonnunq̃ ad indigna artificia etiam mãgnis probisq; ingenijs abuti) sæpe rursus impĩgere cõpellerẽt, suaderetq; domestica vtilitas me aliqñ illorum frui debere stultitia & nugas tantopere cupientibus nugis obsequi: dico quidem nu-

gis, quid enim habet astrologia, nisi meras poetarum nugas et fabulas portentuosaque figmenta, quibus cœlum ipsum refertissimum cōmenti sunt, neque vero vlli hominum generi plus inter se conuenit quā astrologis cū poetis, nisi q̄d de Lucifero & Vespere inter se dissentiunt, poetis asserentibus, quo die Lucifer ante orientem solem aperuerit, eodem occidentem solem subsequi, quod eodē die fieri posse Astrologi negant fere omnes, præter illos qui Venerem supra solem locant, quia stellæ quæ longe vlteriores sunt, nobis in ortu citius oriri, & in occasu serius recidere videntur. Sed hanc astrologorum de situ stellarum siue planetarum discordiam, nisi, nūc recordatus, præteriissem, siquidem non tā astrologorū quam philosophorū est. Nam Plato post lunam secundam sphæram solis locat: Idem faciunt Aegyptij inter lunam & Mercurium solem collocantes. Archimenides autem & Chaldæi solem in ordine quartum collocant: Anaximander & Metrodorus Chius et Crates solem omnium supremum constitutum dicūt, post quem luna infra has cæteras errantes inerrantesque. Xenocrates omnes vna eademque in superficie stellas moueri putat. Non minus de solis & lunæ cæterarumque stellarum magnitudine et distantia discordant, nec vlla inter eos de cœlestibus opinionum constantia nec veritas: nec mirū id, cum cœlum ipsum quod scrutantur omnium sit inconstantissimum, nugisque & fabulis repletissimum: nam ipsa duodecim signa reliquæque & boreales & australes imagines, non nisi fabulis in cœlum ascenderunt, atque tamen his fabulis, viuunt, imponunt, lucrant astrologi, poetis interim eorundē inuētoribus egregie esurientibus.

¶ De astrologia iudiciaria. Caput. XXXI.

REstat adhuc altera astrologiæ species, quã diuinatoriam vocant seu iudiciariam, q̃ agit de reuolutionibus annorum mundi, de natiuitatibus, de quæstionibus, de electionibus, de intentionibus & cogitationibus, de virtutibus, ad omnium futurorum etiam vel diuinæ prouidentiæ arcanarum dispositionum euẽtus p̃dicendos, euocandos, deuitandos vel repellendos: hinc astrologi cœlorum syderumq; effectus a remotissimis annis, ac ante omnem rei memoriam, aut Prometheï tempora, a magnis (vt aiunt) & antediluuianis coniunctionibus nundinantur, omniumque animantium, lapidum, metallorum, herbarum, & quæcunque in his inferioribus creata sunt effectus, vires, ac motus, ab his ipsis cœlis syderibusq; defluere, omninoq; dependere ac indagari posse affirmant, homines profecto incredibili, nec minus impij: vel hoc vnum non agnoscentes, q̃ deus iam herbas, plantas, arbores, ante cœlos & stellas condiderat. Quin grauissimi quique philosophi, ut Pythagoras, Democritus, Bion, Fauorinus, Panetius, Carneades, Possidonius, Timæus, Aristote. Plato, Plotinus, Porphyrius, Auicenna, Auerrois, Hippocrates, Galenus, Alexander, Aphrodisius: præterea Cicero, Seneca, Plutarchus & alij multi qui ab omni arte & scientia rerũ causas scrutati sunt, nusq̃ nos has astrologicas causas remittunt, quæ etiam si causæ essent, tamẽ q̃ a stellarum cursus, & earum uires non plane cognoscuntur (quod omnibus sapiẽtibus notissimũ est) de eorum effectibus certum iudicium dare nõ possent: Nec vero desunt inter ipsos, vt Eudoxus, Archelaus, Cassandrus, Hoychilax, Halicarnassus peritissimi mathematici, & multi alij recentiores grauissimiq; autores, qui fatẽtur impossibile esse

posse quicquam certi de iudiciorum scientia inueniri, cum propter innumeras cooperãtes cum cœlo alias causas, quas simul attendere oportet, iubetq; sic etiam Ptolomæus: tum quia obstant illis occasiones plurimæ, vtputa cõsuetudines, mores, educatio, pudor, imperium, locus, genitura, sanguis, cibus, animiq; libertas & disciplina, cum influxus illi non cogant (vt aiunt) sed inclinent. Præterea qui iuditiorum regulas præscripserunt, tã diuersa plurimumq; pugnantia eadem de re statuunt, vt impossibile sit prognosticatorem ex tot tãq; uarijs dissonisq; opinionibus aliqd certi posse pronunciare, nisi insit illi intrinsecus quispiam futurorum occultorumq; sensus ac præsagij instinctus, siue potius occulta & latens dæmonis inspiratio, quo inter hæc valeat discernere, seu alio quis modo, nunc illi nunc alteri opinioni adhærere inducatur, quo instinctu si quis careat, is in astrologicis iudicijs (vt ait Haly) veredicus esse nõ potest: quare iam non tam arte, q̃ obscura quadam rerũ sorte astrologica constat prædictio: & sicut nõ arte sed sorte, ex ludorum codicillis versus exit nonnunq̃ verum pronũtians: sic etiam ex animo astrologi non arte, sed sorte prodeunt vaticinia: cui attestatur etiam Ptolomæus. Scientia (inquiens) stellarum ex te & ex illis est indicans futurorum occultorumq; prædictionem, non tam esse ex obseruatiõe stellarum q̃ ex animi affectibus. Nulla igitur est certitudo huius artis, sed cõuertibilis est ad omnia, secundum opinionem quę coniecturis aut existimatione, aut imperceptibili dæmonum afflatu aut superstitiosa sorte colligitur. Nil igitur aliud est hæc ars q̃ superstitiosorum hominum fallax coniectura, qui ob multi tẽporis vsum de rebus in

certis scientiam fecerunt, in qua emungendæ pecuniæ gratia decipiant imperitos, atq; ipsi simul decipiantur. Quod si ars istorum vera est, & ab illis intelligitur, unde tot et tanti errores ebulliunt in eorum prognosticationibus: sin minus, nonne frustra & stulte & impie de rebus nullis aut non intellectis scientiam profitentur? Sed cautiores illorũ de futuris non nisi obscura pronuntiant, & quę ad omnem rem, & tempus, & principem, & nationem applicari possunt, ambigua prognostica, artificiosa versutia confingunt. Postea vero quam ali quid horum acciderit, tunc illius colligunt causas, atq; post factum vetera vaticinia nouis rationibus stabiliunt, vt videantur pręuidisse: quemadmodum somniorum interpretes, vbi somnium viderint nihil certi intelligunt, vbi autem post aliqd eis euenerit, tunc ad id quod accidit aptant etiam somnium visum. Præterea cum impossibile sit in tanta stellarum varietate nõ semp inuenire, quasdam bene quasdam male positas, occasionem capiunt ex his dicendi quod volunt: et quibus volũt vitam, salutem, honores, opes, potentiam, victoriam, sanitatem, sobolem, amicos, coniugia, vel sacerdotia, magistratus, similiaq; pdicant. Quod si quibus sint male propitij, ijs, mortes, suspêdia, dedecora, clades, exilia, orbitates, languores, calamitatesq; renunciant: non tam ex scelerata arte, ꝙ ex sceleratis affectibus huic impię curiositati credulos homines pertrahentes. in exitium, populos, ac principes sæpe funestis seditiõibus ac bellis inter se cõmittẽtes. Quod si cũ prognosticis illorũ fortuna coincidat, vt inter tot ambigua vnũ aut alterum verum euenerit, mirum quã tunc cristas efferunt, ꝙ id insolentissime pdicant. Quod si assi-

due mentiunt, conuincantur mendacij, id tunc excusant blasphemia, vel mendacij mēdacio tegūt inquientes: sapientem dominari astris, cum reuera nec astra sapienti nec sapiens astris, sed vtrisq; dominatur deus: aut aiunt ineptitudinem recipientis cœlestibus influxibus obstitisse. Vlteriorem autem fidem requirentibus irascuntur, et inueniunt circulatores illi interim principes et magistratus qui illis credant omnia, ac ornent publicis stipendijs: quum re vera nullum genus hominum reipublicæ sit pestilentius, quā istorum, qui ex astris, ex inspectis manibus, ex somnijs, consimilibusq; diuinationum artificijs, futura pollicentur, & vaticinia spargunt, homines insup & Chrō & omnibus in illum credentibus semper offensi: de quibus Cornelius Tacitus conqritur. Mathematici (sic enim eos vulgo nominant) inquiens genus hominum principibus infidum, credentibns fallax, a ciuitate nostra semper prohibentur, sed expelluntur nunquam: quin & Varro autor grauis omnium superstitionum uanitates ex astrologiæ sinu profluxisse testatur. Erat etiam in Alexandria uectigal, quod astrologi persoluebant blacenomion, a stultitia sic nuncupatum, quia ex ingeniosa stultitia quæstum facerent, nec nisi stulti & temerarij homines illos consulere soleant: quippe si ab astris est hominum vita atque fortuna, quid timemus, quid solicitamur, quin deo hæc & cœlis qui nec errare nec malum agere possunt relinquamus, atq; homines cūsimus nō plus q̄ oporteat vltra vires nostras altū, sed humana duntaxat sapiamus: quin & Christiani cūsimus credētes Christo linquamus horas & momenta deo patri, qui ea posuit in sua potestate. Quod si vero vita nostra atque fortuna ab astris

non sunt, nonne in vacuum currit omnis astrologus? Sed est hominũ genus adeo timidulum credulumq; , qui tanq; pueri ad lemurum fabulas plus timent, creduntq; ea quæ non sunt, q̃ ea quæ sunt: atq; quo res est minus possibilis, hanc eo timẽt magis, atq; quo est verisimilis minus, hãc eo firmius credunt: qui profecto si non essent astrologi & diuinatores perirent fame, atq; horum stulta credulitas præteritorum oblita, præsentium negligens, in futura præceps, sic deceptoribus illis fauet, vt cum in cæteris hominibus vno mendacio tam suspecta fides reddatur dicentis, vt reliqua omnia vera obscurentur: contra in his mendaciorum magistris vna fortuita veritas, etiam publicis mendacijs faciat fidem, quibus profecto qui maxime confidunt, maxime omnium redduntur infelicissimi, vt solent superstitiosæ illæ nugæ perniciem suis adferre cultoribus, quod in Zoraste, Pharaone, Nabuchodonosor, Cæsare, Crasso, Pompeio, Diotharo, Nerone, Iuliano apostata testatur antiquitas, qui vt his nugis fuere deditissimi, sic earundẽ confidentia periere infelicissimi: & quibus læta cũcta promiserant astrologi, mœsta prouenerunt omnia, vt Pompeio, Crasso, et Cæsari, quibus neminem eorum nisi iam senem, nisi domi, nisi cũ gloria moriturum promiserunt, attamen quisq; eorũ male & immature perijt. Pertinax profecto et p̃posterum hominum genus futura se præscire qui profiteantur, præteritorum & præsentium ignari, & cum omnibus omnia occultissima se dicturos profiteãtur, qd in propria domo, quid in thalamo suo fiat sępissimę nesciũt, cuiusmõi astrologũ Morus ãglicus hoc epigrãmate perpulchro taxauit:

Astra tibi æthereo pandunt sese omnia vati,

Omnibus & quæ sunt fata futura monent.
Omnibus est vxor, ꝙ se tua publicat, id te
Astra (licet videant omnia) nulla monēt
Saturnus procul est, iamq; olim cæcus (vt aiunt)
Nec prope discernens a puero lapidem.
Luna verecundis formosa incedit ocellis.
Nec nisi virgineum virgo videre potest.
Iuppiter Europen, Martē venus, & Venerē Mars
Daphnen Sol, Hircen Mercurius recolit,
Hinc factū astrologe ē, tua cū capit vxor amātes
Sydera significent, vt nihil inde tibi.

Præterea q̄ inter se de his ipsis iudicioꝝ regulis dissentiant Iudæi, Chaldæi, Aegyptij, Persæ, Græci, Arabes, omnibus notum est: & quō oēm antiquorū astrologiam abrīcit Ptolomæus: & hunc vt defendit Auērodan, ita lacessit Albumasar: atq; oēs hos lacerat Abraam Auenazre Hebrēus: deniq; Dorotheus, Paulus alexandrinus, Ephestiō, Maternus, Aomar, Tebith, Alchindus Zahel Messahalla, & fere oēs alij aliter sentiunt & opinant, & cum q̄ dicunt probare uera neq̄unt, sola experimēti rōe sese tuent, nec super ea quidē oēs vnanimiter conueniūt, neq; minus de domoꝝ proprietatibus, ex quibus omniū euentuū prædictionē venantur discrepāt, quas aliter assignat Ptolomeus, aliter Heliodorus, aliter Paulus, aliter Manlius, aliter Maternus, aliter Porphyrius, aliter Abenragel, aliter Aegyptij, aliter Arabes, aliter Græci, & Latini, aliter veteres, aliter recentiores. Qūquidē etiam initia finesq; domoꝝ, quonammō cōstituere oporteat, inter eos nondū liq̄t, cum hæc aliter fabricāt antiq, aliter Ptolomæus, aliter Campanus, aliter Ioannes de regio monte. Vnde fit, vt suis ipsimet obseruationibus sibi fidem adimant, cum locis eisdem di

uersi diuersas ascribunt proprietates, initia, atque fines: impium hominum genus, qui quæ solius dei sunt, tribuunt astris, & nos liberos natos, syderū seruos faciunt: & cum sciamus deum creasse omnia bona, illi stellas aliquas maleuolas, & scelerū autores, & malorum influxuū tradunt, non absq; maxima dei cœlorumque iniuria, statuentes in cœlestibus in illo diuino senatu mala & scelera facienda decerni: & quicquid a nobis volūtatis culpa perpetratur, quicquid vitio materiæ in natura præter ordinem accidit, totum imputant syderibus. Iam vero & hæreses & infidelitates pernicio sissimas docere nō verentur, videlicet dum donū prophetiæ, vim religionum, arcana conscientiæ, imperium in dæmones, virtutem miraculorū, efficaciam supplicationum, et futuræ vitæ statum, omnia pendere ab astris, ab illis largiri, ex illis cognosci impia temeritate fatentur. Dicunt enim: ascendēte Geminorum syderе, idq; Saturno Mercurioque sub Aquario iunctis, in nona cœli plaga, nasci prophetam: ideoque Christum dominū tot claruisse virtutibus, quia eo in loco Saturnum habuerit in Geminis. Religionum etiam sectas, quibus Iouem præcipuum præficiunt patronum, per cæterarum stellarum commixtiones distribuunt, ita vt Iupiter ille cum Saturno religionē faciat Iudæorum, cum Marte Chaldæorum, cum Sole Aegyptiorum, cum Venere Saracenorum, cū Mercurio Christianorum, cum Luna eam quam futurā dicunt Antichristi: atque Mosen Iudæis sabbati diem ex astrologicis rationibus instituisse religiosum, ideoque errare Christianos, qui diem sabbati Iudæorum ritu operibus vacantes non ferianť, cum sit illa dies Saturni. Fidelitatē autem cuiusq;

cum ad homines, tum ad deum, professamque religionem, conscientiæ etiam arcana, a parte Solis ac tertia nona vndecimaque cœli domicilijs deprehendi posse putant, prænoscendisque hominū cogitationibus, & (vt aiunt) intentionibus: multi multas admodum regulas tradunt, ipsisque diuinæ omnipotentiæ miraculosis operibus, puta vniuersalis diluuij, & datæ per Mosen legis, ac virginis puerperio cœlestium configurationes causas p̄ficiunt, ac Christi redemptricem humani generis mortem, Martis opus fuisse fabulantur: Quin & Christum ipsum in miraculis suis horarum electione vsum, quibus illum Iudæi lædere non possent, dum ascenderet Hierosolymam. Ideoque vetantibus discipulis dixisse: Nonne duodecim horæ sunt dei? Dicunt præterea, si cui Mars in nona cœli domo feliciter locatus fuerit, hunc dæmones ab obsessis sola præsentia expulsurum: Qui vero Luna atq; Ioue cum capite draconis in medio cœlo cōiunctis, deo supplicauerit, omnia illa quæcunq; petierit impetraturum: Porro futuram vitæ felicitatem a Ioue Saturnoque largiri: Quod si quis Saturnum in Leone feliciter constitutū habuerit in genesi, eius animam post hanc mortalem vitam, in numeris angustijs liberatam, ad cœlum & originis suæ primordia, applicatam dijs, transituram. Atque tamen istis execrandis nugis, pernicioſissimisque hæresibus, Petrus Apponensis, Rogerius BACON, Guido Bonatus, ARNOLDVS de Villa noua philosophi, Alyacensis Cardinalis & Theologus, & plerique alij Christiani nominis doctores, haud absq; hæreseos infamia subscribunt, & sese vera hinc expertos esse testari atque tueri audent; Scripsit autem aduersus astro-

logos recentioribus annis duodecim libris Ioannes Picus mirandula tanta copia, vt vix vllum præterierit argumentum, tanta autem efficatia, vt hactenus nec Lucius Balancius acerrimus astrologiæ propugnator, nec alius quisquam huius artis defensor, hãc ab adductis a Pico rationibus poterit saluare, is enim probat validissimis argumentis illam non hominum, sed malorum dæmonum fuisse inuentum: quod idem etiam Firmianus ait. Per quam illi omnem philosophiam, medicinam, leges, atque religionem, in humani generis exterminium nisi sunt abolere: nam primum q̃ dem religioni fidem adimit, miracula extenuat, prouidentiam tollit, dum omnia constellationum vi prouenire, & a syderibus fatali necessitate pendere docet: insuper vitijs patrocinatur, excusans quasi cœlitus in nos descendentibus, bonas quascunque artes contaminat atque euertit, imprimis philosophiam, rerum causas, a veris rationibus ad fabulas traducens: deinde medicinam a naturalibus efficacibusque remedijs, ad vanas obseruationes peruersasque & corpori & animo exitiales superstitiones conuertens: Porro leges, mores, & quascunque humanæ prudentiæ artes in totum pessundans: cum quo tempore, qua ratione, quis medijs, quid agendum, sola astrologia consuleretur, solaq; vitæ & morum & reipublicæ & priuatæ sceptra teneret, tã q̃ de cœlo omniũ habẽs auctoritatẽ, vanaq; putarent cętera oĩa, q̃ hanc nõ agnoscerent patronam. Dignissima profecto ars quam olim etiam dæmones profiterentur in fallaciam hominum, & in iniuriam diuinitatis: Iam vero & Manichæorũ hæresis arbitrij libertatẽ in totum tollens & auferens, non aliunde emanauit,

quàm ex astrologorum de fato falsa opinione atque doctrina: Ex eodem fonte & Basilidis hæresis emanauit, qui trecentos sexaginta quinq; cœlos, per successionem & similitudinem adinuicem factos pronunciauit: & horum ostensionem esse numerum dierum anni, atque singulis illoꝝ certa principia, & virtutes, & angulos assignans, atq; illis nomina adfingens: esse autem omnium principem Abraxas, quod nomen iuxta Græcam literaturam, continet in se trecentum sexaginta quinque, quod videlicet sunt illorum cœlorum locales positiones, ab illo commenti: Hæc ideo narrata sunt, vt cognoscatis astrologiam, etiam hæreticorum progenitricem esse. Porro astrologiam hanc diuinatoriam, sicut splendidissimi quique explodunt philosophi: sic Moses, Isaias, Iob, Ieremias, cæteriq; antiquæ legis detestantur prophetæ: & e catholicis doctoribus Augustinus, illam a Christiana religione expellendam censet. Hieronymus hanc idololatriæ genus esse disputat. Rident eam Basilius & Cyprianus: refutant Chrysostomus, Eusebius, & Lactantius: Inuehuntur Gregorius, Ambrosius atque Seuerianus, sanctumq; Toletanum concilium eam prohibet atq; damnat: etiam in synodo Martini, & abs Gregorio iuniore, & Alexandro tertio pontificibus anathematizata, & a ciuilibus imperatorum legibus punita Apud veteres Romanos sub Tyberio Vitellio Diocleciano, Constantino, Gratiano, Valentiniano, Theodosio, imperatoribus, vrbe prohibita, eiecta, atque punita: ab ipso etiam Iustiniano capitis supplicio percussa, quod ex codice eius manifestum est.

De diuinationibus in gñe. Cap. XXXII.

ADmonet hic locus etiam de cæteris diuinationum artibus dicere, quæ non tam obseruatione cœlestium, quam rerum inferiorū quandam cœlestium vmbram & imitationē habentium vaticinia præbent, vt illis intellectis melius cognoscatis hanc astrologicam arborem, de qua tales fructus descendunt, atq; abs qua velut Lernea hydra multorum capitum fera generata est: inter artes itaq; ad diuinandi quæstum properantes physionomia, metoposcopia, chiromantia geomantia (de qua etiam supra diximus) aruspicia, speculatoria, & onirocritica, quæ est somniorum interpretatio, ac furētium oracula hic sedem sibi vendicarunt. Omnia autem hęc artificia, nullius solidæ doctrinæ sunt, nec vllis certis rationibus constant, sed de rebus occultis aut fortuita forte, aut spiritus agitatione, aut apparentibus quibusdam coniecturis inquirunt, quæ ex quotidianis & longi temporis sumptæ sunt obseruationibus. Solent enim omnes illæ diuinationum prodigiosæ artes, non nisi experientiæ titulo se defendere, & se obiectionum vinculis extricare, quoties aliquid supra fidem ac præter rationem doceāt polliceanturq;, de quibus omnibus sic in lege præceptum est: Non inueniatur in te qui colluſtret filium, ducēs per ignem, et hariolos sciscitetur, aut obseruet somnia atque augutia, nec sit maleficus nec incantator, quoniam hæc obominat̄ dominus

¶ De physionomia. Cap. XXXIII.

HArum itaq; Physionomia naturam (vt ait) ducem secuta, ex totius corporis inspectione, quæ sunt animæ & corporis affectiōes, quæ hominis fortuna, probabilibus signis se assequi posse præsumit, quatenus hūc Saturnū

aut Iouistam, illum Martium aut Solarem, alterum Venereum, Mercurialem, aut Lunarem pronunciat, & ex corporis habitudine illorum horoscopia colligit, ex effectibus paulatim (vt aiunt) ad causas videlicet astrologicas transcendens, ex quibus postea nugatur quicquid libet.

¶ De metoposcopia. Cap. XXXIIII.

METoposcopia autem ex solius frontis inspectiõe omnia hominum initia, progressus et fines, sagacissimo ingenio ac docta experientia se præsentire iactat, ipsa se etiã astrologiæ alumnam faciens.

¶ De chiromantia. Cap. XXXV

CHiromantia autem in vola manus, pro numero planetarum septem montes effingit, atque ex lineis quæ ibi conspiciuntur, quæ hominis complexio, qui affectus, quę vita, quæ fortuna, sese posse cognoscere arbitratur, per linearum harmonicam correspondentiam, seu ꝙ cœlestia quædam stigmata nobis a deo & natura illic impressa, & quæ deus autore Iob posuit in manibus hominũ, vt inde noscat vnusquisq; opera sua, quamuis re vera diuinus propheta illic nõ de chiromantica vanitate, sed de arbitrij libertate locutus fuerit. Præterea tuentur se prædicti diuinatores, ꝙ licet non per rerum causas, tamen per signa ab eisdem similibusue causis impressa, quæ semper sint eadem rebus eisdem similia aque similibus, de effectibus possent iudicare, dicuntque ijs artibus vsum quondam Pythagoram, qui adolescentum mores, naturas, ingenia, ex oris & vultus totiusque corporis filo ac habitu coniectabatur: quemq; idoneum iudicabat, hunc in disciplinam recipi iubebat. Idem consueuisse Pharaotem

Indorum regem narrat Philostratus, verum hanc omnium artium errorem non alia ratione nobis impugnare necesse est, nisi eaipsa, & deficiunt videlicet omni ratione: scripserunt tamē de istis permulti ex antiqs viri grauissimi, Hermes, Alchindus, Pythagoras, Pharaotes Indus, Zopyrus, Helenus, Ptolemæus, Aristoteles, Alpharabius, præterea Galenus, Auicenna, Rasis, Iulianus, Maternus, Loxius, Phylemon, Palæmon, Constantinus Aphricanus: ex Romanis denique principibus Lucius Sylla, & Cæsar dictator eius studiosissimi fuere. Ex posterioribus vero Petrus Apponensis, Albertus Teutonicus, Michael Scotus, Antiochus, Bartholomæus Coclitis, Michael Sauonarola, Antonius Cermisonus, Petrus de arca, Andreas Coruus, Tricassus Mantuanus, Ioannes de indagine, & plerique alij illustres medici: omnes tamen vltra coniecturas, & experientiæ obseruationes tradere queunt nihil: non esse autem coniecturis illis & obseruationibus vllam veritatis regulam, ex eo manifestum est, quia figmenta sunt voluntaria, & super quibus ipsi etiam æqualis doctrinæ & autoritatis illarum doctores non cōcordant: quare vehementer delirant errantq; omnes qui per hæc signa vltra corporis complexionem, & naturæ dispositionem, mores quoq; ipsos et fortunæ animiq; affectus prædicere volunt, quod in Zopyri iudicio de Socrate satis comprobatū est: nec vobis fidem faciat q; Appion grammaticus scriptum reliquit, Alexandrum quendam tam discrete imaginum similitudines pinxisse, vt ex his metoposcopus futuræ aut præteritæ mortis annos dixerit, quod quidem posse ijs artibus sciri nō tam incredibile est quam impossibile, sed solet hoc

nugiuendum hominum genus instinctu malorum dæmonum sic delirare, trahentium illos ab errore in superstitionem, & ab hac paulatim in infidelitatem.

Iterum de geomantia. Cap. XXXVI.

GEomantiam etiam de qua & in arithmetica locutisumus, quæ proiectis punctis, vel casu vel vi quadam deductis, ex qbus pares & impares numeros, figuras quasdam cœlestibus attributas componit per quas diuinatur, idcirco omnes illius scriptores astrologiæ filiamtestantur. Est & alia geomantiæ species, quam Almadal Arabs introducit, quæ ipsa per coniecturas quasdam a similitudinibus sumptas, ex terræ crepitu, motu, sciſſura, tumore, vel sponte, vel ab æstu & caumate, aut tonitruis prouenientibus diuinatur, quæ ipsa etiam inani astrologiæ superstitione fulcitur, horas & lunationes & syderum ortus figurasq; coobseruans.

De aruspicia. Cap. XXXVII

AVgurium vero, cuius multæ admodum sunt species, ars ipsa priscis temporibus in magna obseruatione fuit, ac tanta, vt nihil eorum quæ ad publica vel ad priuata pertinerent, inauspicate perfecerint. Hæc ars antiquissima est, vt tradit Pomponius Lætus, a Chaldæis ad Græcos apud qs Amphiareus Tyresias, Mopsus Aphilotes, & Calchas summi augures habiti sunt: a Græcis ad Hetruscos venit, ab illis ad Latinos: & ipse Romulus augur fuit, & magistratus instituit augurijs confirmari: & Dionysius tradit antiquam augurandi artem fuisse etiam Aboriginum: & Ascanium priusquam aciem cõtra Mezentium educeret augurium capta sse, qd

vbi felix conspexit, pugnauit atq; vicit. Deniq; Phrygij, Pisidæ, Cilices, Arabes, Vmbri, Thusci & multi alij populi auguria secuti sunt. Lacedæmonij etiam regibus suis augurem assessorē dederunt, & publico interesse concilio voluere. Erat & apud Romanos augurum collegium: huic artifices fecerunt, qui docuerunt a cælestibus corporibus, quædam præsagiorum lumina super animātia quæq; in hæc inferiora descendere velut signa quædam in eorum motu, situ, gestu, incessu, volatu, voce, cibo, colore, opere, euentu constituta, quibus tanquam insita quadam vi occulta, ac tacito quodam consensu, cum cœlestibus corporibus, quorum viribus afficiuntur, sic cōueniant, vt possint omnia hæc præsagire quæcunq; cœlestia corpora cogitarunt facere. Ex quo patet hanc diuinationem non nisi cōiecturas sequi, partim a syderum (vt aiunt) influentijs, partim a parabolicis quibusdam similitudinibus sumptas, quibus nihil est fallacius: quare rident eā Panetius & Carneades, Cicero, Chrysippus, Diogenes, Antipater, Iosephus, & Philo, damnant lex & ecclesia: atq; huiusmodi sunt illa Chaldæorum Aegyptiorumq; mysteria, quæ quondam Hetrusci, deinde Romani, & hodie adhuc superstitiosum hominū vulgus velut oracula adorat.

De speculatoria. Cap. XXXVIII.

EX eodem fundamento prodit speculatoria, quæ fulmina & fulgura, cæteraſque elementorum impressiones, insuper ostenta, portenta, prodigia interpretatur: non tamen alia via quam cōiecturæ & similitudinis, quam equidem plurimum errare manifestum est, q; hæc omnia naturalia opera sunt, non prognostica.

¶ De somnispicia. Cap. XXXIX.

ACcedit onirocritica, quæ est somniorum interpretatio, quorum interpretes proprie coniectores vocantur, quemadmodū canit Euripedes.

Qui bene coniectat, is vates optimus esto.

Cui artificio etiam & quidem magni philosophi haud parum tribuerunt, præcipue Democritus, Aristoteles & eius sectator Themistius, atq; Sinesius Platonicus, sic innitentes exemplis illis somniorum, quæ casus aliquis vera fecit, vt inde nihil frustra somniari suadere conentur. Dicunt enim, q; quemadmodum cœlestes influxus, in corporali materia formas producant diuersas, sic ex eisdem influxibus, in potentia phantastica, quæ organica est: phantasmata imprimi cœlesti dispositione, effectus cuipiam producendi consentanea, maxime vero in somnijs: quia animus tunc a corporeis exterisque curis relaxatus, liberius diuinos illos suscipit influxus: vnde multa dormientibus in somnijs innotescunt, quæ latent vigilantes: Hac itaque potissimum ratione ipsis somnijs veritatis opinionem conciliare nituntur. De causis tamen somniorum tam intrinsecis quam extrinsecis, non omnes in vnam sententiam conueniunt: nam Platonici illas referunt in species, & notiones animæ concretas, Auicenna in intelligentiam vltimam mouentem lunam, medio illius luminis quo irradiatur phantasia hominum, dum dormiunt. Aristoteles refert in sensum communem, sed phantasticum. Auerrois in imaginatiuam. Democritus in idola a rebus decisa. Albertus in influxum superiorum, mens tamen q̄busdam speciebus, quæ continno defluunt a cœlo.

Medici in vapores & humores hæc referunt, alij in affectus & curas vigiliæ, aliqui Arabes in potentiam intellectualem, alij dicũt a potentijs animæ & influxu cœli & simulacris simul dependere. Astrologi illa a suis cõstellationibus causari volunt. Alij causas illorum in aerem circundantem penetrantemq; referunt. Scripserunt præterea de somniorum interpretatione Daldianus & Artemidorus, et circumferũtur libri sub Abrahami nomine, quem Philo in libris de Gygantibus, & de ciuili vita, asserit somniorum solutiones primum adinuenisse, & alij sub Salomonis & Danielis nominibus in hanc rem conficti, in quibus de somnijs nihil nisi mera somnia tradũtur. Sed ipse Marcus Tullius in suis diuinationum libris aduersus hanc vanitatem eorumq; stulticiam, qui somnijs fidem habent, validissimis rationibus disputat, quas hic enumerare omitto.

¶De furore. Cap. XL.

SEd (quod fere præterierã) istis somniatoribus eos etiam adnumeremus, qui furentium vatícinijs diuinitatis fidem præbent, eosq; qui & præsentium notitiam, & præteritorum memoriã omnemq; humanum sensum perdiderunt, diuinã fururorum præscientiam assecutos putant, & quę sapientes vigilantesq; nesciunt, videre insanos & dormientes, ac si illis plus quam sanis vigilantibus, intelligentibus, & præmeditantibus deus sit propinquior. Infelices profecto homines, qui his vanitatibus credunt, illisq; impostoris obediunt, qui huiusmodi pascunt artifices, illorumq; ventri ingenia sua suamq; fidẽ submittunt: Quid nanq; aliud putabimus furorem, quam alienationem humani animi ab ipsis malis dęmonibus exagitati,

aut per astra, aut per inferiora instrumenta ab imis mundis spiritibus deducta, quod ita expressisse videtur Lucanus dum inducit aruum Tuscum Vatem.

Fulminis edoctum motus venasq; calentes,
Fibrarum & motus errantis in aere pennæ,
Post lustratam vrbem, post mactatã victimam,
Post inspecta exta tandem figulum in hæc verba
protulisse sententiam.
Quod cladis genus o superi, qua peste paratis
Sæuitiam, extremi multorum tempus in vnum
Conuenere dies summo si frigida cœlo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes,
Deucaleoneos fudisset Aquarius imbres,
Totaq; diffuso latuisset in æquore tellus,
Si sæuum radijs Nemæum Phœbe Leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensusq; tuis flagrasset curribus æther
Hi cessant ignes, tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, Chelasq; peruris.
Quid tantum Gradiue paras, nam mitis in alto
Iuppiter occasu premitur, Veneriscq; salubre
Sydus hebet, motuq; celer Cyllenius hæret
Et cœlum mars solus habet, cum signa meatus
Deseruere suos, mundoq; obscura feruntur
Ensifer nimium fulget latus Orionis
Imminet armorum rabies ferrich; potestas,
Confundet ius omne manu scelerisq; nefando
Nomen erit virtus, multosq; exibit in annos
Omnia itaq; hæc diuinationum artificia in ipsa
astrologia suas radices & fundamẽta habent. Nã
siue corpus, vultus, manus inspecta sunt, siue somnium, siue prodigium visum sit, siue auspicium, siue furor afflauerit, cœli figuram erigendam con-

fulunt, ex cuius indicijs vna cum similitudinum signorumq; coniecturis, significatorum venantur opiniones: ita diuinationes omnes astrologiæ artem vsumq; sibi deposcunt, vt hanc veluti clauē ad omnium arcanorum notitiam necessariam fateantur. Quare omēs hæ diuinationum artes quātum absint a veritate, palam sese offerunt, ex eoq; principijs vtantur tam manifeste falsis, ac poetica temeritate confictis, quæ cum nec sunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam, tamen causas & signa eorum esse volunt, quæ sunt, rerum euētus cōtra apertam veritatem in illa referentes.

¶ De magia in genere. Cap. XLI.

EXigit etiā hic locus vt de Magia dicamus, nam & ipsa cum astrologia sic coniuncta atq; cognata est, vt qui magiam sine astrologia profiteatur, is nihil agat, sed tota aberret via. Suidas magiam a Magusēis, & nomen & originem traxisse putat. Communis opinio est nomen esse Persicum, cui adstipulantur Porphyrius & Apuleius, & significare eorum lingua idem quod sacerdotem, sapientem, siue philosophum. Magia itaque omnem philosophiam, Physicam & mathematicam complexa, etiam vires religionum illis adiungit. Hinc & goetiā et theurgiam in se quoq; continet: Qua de causa magiam plerique bifariam diuidunt, in naturalem videlicet & ceremonialem.

¶ De magia naturali. Cap. XLII.

NAturalē magiā, nō aliud putāt q̄ naturaliū scientiarū summā potestatem, q̄ idcirco summū philosophiæ naturalis apicē e usque absolutissimā cōsummationē vocāt, & q̄ sit actiua portio philosophiæ naturalis, q̄ naturaliū

stutum adminiculo, ex mutua earū & opportuna applicatione operā dit, supra omnem admiratiōis captum, qua Magia Aethiopes maxime & Indi vtebantur, vbi herbarum & lapidū cæterorumq; ad id spectantium facultas suppetebat. Eius meminisse volūt Hieronymum ad Paulinū vbi ait Apollinium Tyaneum fuisse magum seu philosophum, vt Pythagorici. Eius etiam generis fuisse magos, qui Christum natum muneribus inuisentes adorauerunt, quos euangeliorum interpretes exponunt Chaldæorum philosophos: Quales fuere Hiarchas apud Brachmanas, Tespion apud Gymnosophistas, Budda apud Babylonios, Numa Pompilius apud Romanos, Zamolxides apud Thracas, Abbaris apud Hyperboreos Hermes apud Aegyptios, Zoroastes Cromasi filius apud Persas. Nā Indi & Aethiopes & Chaldæi & Persæ hac maxime p̄celluere magia: qua idcirco (vt narrat Plato in Alcibiade) imbuuntur Persarum regum filij, vt ad mundanæ reipublicæ imaginem suam & ipsi rempublicam administrare distribuereq; condiscant, & Cicero in diuinationum libris ait, neminem apud Persas regno potiri, qui prius magiam non didicerit. Magia itaq; naturalis, ea est quæ rerum omnium naturalium atq; cœlestium vires contemplata, earundemq; simpathiam curiosa indagine scrutata, recondit as ac latentes in natura potestates, ita in apertū producit, inferiora superiorum dotibus tanquam quasda mille cebras sic copulans, per eorum mutuam applicationem adinuicem, vt exinde stupenda sæpe consurgant miracula, non tam arte quā natura, cui se ars ista ministram exhibet hæc operanti: Nā magi, vt naturæ accuratissimi explora

tores, cõducentes ea quæ a natura præparata sunt applicando actiua passiuis, sæpissime ante tempus a natura ordinatum effectus producunt, quæ vulgus putat miracula, cum tamẽ naturalia opera sint, interueniente sola temporis præuentione: vtsi quis in mense martio rosas producat, & maturas vuas, aut satas fabas, vel petroselinum intra paucas horas excrescere faciat in perfectam plantam, & ijs maiora, vt nubes, pluuias, tonitrua, & diuersorum generum animalia, & rerum transmutationes quam plurimas, cuiusmodi multas fecisse se iactat Rogerius Bachon pura & naturali magia. Scripserunt de illius operibus Zoroastes, Hermes, Euantes rex Arabum, Zacharias Babylonius, Ioseph Hebræus, Bocus, Aaron, Zenotenus, Tirannides, Amadal, Thetel, Alchindus, Abel, Ptolemæus, Geber, Zahel, Nazabarus Tebith, Berith, Salomon, Astaphõ, Hipparchus, Alcmeon, Apollonius Triphon & plærique alij, quorum aliqua opera adhuc integra & plæraque fragmenta adhuc extant, & ad manus meas aliquando peruenerunt. Ex recentioribus vero scripserunt in naturali magia pauci & illi quidẽ pauca, vt Albertus, Arnoldus de villa noua, Raimũdus, Lullius, Bachon, & Apponus, & autor libri ad Alfonsum sub Picatricis nomine æditus, qui tũ vna cum naturali magia plurimum superstitiõis admiscet, quod quidem fecerunt & alij.

De magia mathematica. Cap. XLIII.

SVnt præterea alij naturæ sagacissimi æmulatores inquisitoresque audacissimi, qui absque naturalibus virtutibus ex solis mathematicis disciplinis adscitis cœlorum ĩfluxibus, sese naturæ operum similia producere posse pollicentur,

vt corpora euntia velloquentia, quæ tamen non habeant virtutes animales, qualis fuit columba Architæ lignea, quæ volabat, & statuæ Mercurij quæ loquebantur, & caput æneū ab Alberto Magno fabricatum, quod locutum perhibent. Excelluit in istis Boetius vir maximi ingenij, & multiplicis eruditionis, ad quem de istiusmodi scribēs Cassiodorus: Tibi (inquit) ardua cognoscere, & miracula monstrare propositum est, tuæ artis ingenio metalla mugiunt, Diomedes in ære grauius buccinatur, æneus anguis insibilat, aues simulatæ sunt, & quæ vocem propriam nesciunt habere, dulcedinem cantilenæ probantur emittere, par ua de illo referimus, cui cœlum imitari phas est. De istis puto artificijs dictum est quod apud Platonem legimus in vndecimo de legibus: Ars data est mortalibus, qua res posteriores quasdā generarent, non quidem veritatis & diuinitatis participes, sed simulacra quædam sibiipsis cognata deducerēt: atq; eo vsq; progressi sunt magi homines audacissimi omnia perpetrare, fauente maxime antiquo illo & valido serpente scientiarū pollicitatore, vt similes illi tanquam simiæ deum & naturam æmulari conarentur.

¶ De magia venefica. Cap. XLIIII.

EST p̄terea naturalis magiæ species, q̄ venefica siue pharmacia vocant, q̄ poculis, philtris, varijsq; veneficiorū medicamētis pficitur, cuiusmodi Democritus cōfecisse legit, q̄ boni, felices, fortunatiq; filij gignant: et aliud q̄ auiū voces rite intelligamus, sicut de Apollonio narrant Philostratus atq; Porphyrius. Vergilius etiam de quibusdā herbis ponticis locutus dixit. His ego sæpe lupum fieri, & se cōdere syluis.

Mœrim, sæpe animas imis exire sepulchris,
Atq; fatas alio vidi traducere messes.

Et Plinius narrat quendam Demarchũ Parrhasium in sacrificio quod Arcades Ioui Liceo humana hostia faciebant, immolati pueri exta degustasse & in lupum se conuertisse, propter quam hominum in lupos immutationem, putat Augustinus Pani Liceo, & Ioui Liceo nomen esse impositum: narrat idem Augustinus dum esset in Italia quasdam fœminas magas, Circes instar, dato viatoribus veneficio in caseo, eos in iumenta vertisse: cumque portassent quæ placuissent onera, rursus in homines restituisse, idque patri cuidam Præstantio tunc accidisse: sed & ne quis hæc putet omnino deliramenta esse & impossibilia, is recordetur quomodo sacrę literę narrant Nabucho donosor regem mutatum in bouem, & septem annis fœno vixisse, tandem dei misericordia in hominem redijsse, cuius corpus post mortem illius filius Emilmeradach in escam dedit vulturibus, ne quando resurgeret a mortuis, qui iam de bestia redierat in hominem, & eiusmodi plura de magis Pharaonis narrat exodus. Verum de ijs siue magis siue veneficis loquitur Sapiens, dum dicit: Exhorruisti illos deus, quia horribilia opera tibi faciebant per medicamina. Illud præterea vos scire volo non solum naturalia scrutari hos magos, verũ etiam ea quæ naturam comitantur ac quodammodo exuunt, vt motus, numeros, figuras, sonos, voces, concentus, lumina, & animi affectus atq; verba. Sic Psylli & Marsi conuocabant serpẽtes alij alijs deprimentes fugabant, sic Orpheus Argonautarum tempestatem hymno compescuit, & Homerus narrat Vlyssi sanguinem verbis re-

strictum: & in lege duodecim tabularum: ijs qui messes excantassent, pœna constituta est, vt non dubium sit magos etiam solis verbis & affectibus, alijsque similibus nõ in seipsos modo, sed etiã in res extraneas sæpe mirum aliquem producere effectum, quæ omnia nõ secus vim insitam in res alias profundere, illasq; ad se trahere, vel abs se repellere, seu alio quouis modo afficere putant, q̃j magnes ferrum, & succinum paleas trahunt, siue adamas, & alium magnetem ligant: sicque per hanc rerum gradariam ac cõcatenatam sibi sim pathiam non solum dona naturalia & cœlestia, sed etiam intellectualia & diuina Iambicus, Proculus, atq; Synesius ex magor̃ sententia desuper suscipi posse confirmant, q̃d Proculus inde sacrificio & magia fatetur, scilicet per huiusmodi rer̃ consensum magos etiam numina euocare solitos. Ad tantam enim quidam eor̃ deuoluti sunt insaniam, vt ex diuersis stellar̃ constellationibus, per tempor̃ interualla, & quadam proportionũ ratione rite obseruatis cõstructam imaginẽ cœlitum nutu vitæ intellectusq; spiritũ accepturam putẽt, quo consulentibus illam respondeat, & occulte veritatis arcana reuelet. Hinc patet hanc naturalem magiam nonnunq̃ in goetiam & theurgiam reclinatam sepissime malorum dæmonum vafra mentis erroribusq; obretiri.

De goetia & necromantia. Cap. XLV.

Cæremonialis autem magiæ partes sunt goetia atque theurgia. Goetia, immundor̃ spirituum commercijs, inauspicata nefarie curiositatis ritibus, illicitis carminibus, & dep̃camentis cõcinnata, oĩm legũ placitis est exterminata & execrata. Huius generis sunt q̃s

necromanticos et maleficos hodie nuncupamus.

Gens inuisa deis, maculandi callida cœli,
Quas genuit natura mali, qui sydera mundi
Iuraq; fixarum possunt peruertere rerum.

Nam nunc stare polos & flumina mittere norũt,
Aethera sub terras adigunt, montesq; reuellunt,
Hi sunt ergo qui defunctorum inclamãt animas,
& illi quos veteres dicebant epodos, qui excantant pueros, & in eloquium oraculi eliciunt, & q dæmones paredros circunferunt, quale quiddam de Socrate legimus: & qui, vt dicitur, spiritus pascunt in vitro, per quos se prophetare mentiũtur. Et hi omnes bifariam procedunt: Nam alij dæmones malos virtute quadam maxime diuinorũ nominum adiuratos, aduocare & cogere studẽt: quippe cum omnis creatura timet & reueretur nomen illius qui fecit eam, non mirum si goetici, & quique etiam infideles, pagani, Iudæi, Saraceni, & cuiuscunque prophani collegij siue sectæ homines, diuini nominis inuocatione dæmones astringant. Alij autem nefandissimi detestando & omnibus ignibus plectendo scelere, se dæmonibus submittentes, illis sacrificant, & adorant, idololatriæ & vilissimæ deiectiones rei effecti sunt: quibus criminibus, & si priores non sunt obnoxij, tamen manifestis periculis se exponunt. Nam etiam coacti dæmones inuigilant, semper quo errantes nos decipiant: Ex horũ vero goeticorum anagyri profluxerunt omnes isti tenebrarum libri, quos improbatæ lectionis Vlpianus Iurisconsultus appellat protinusq; corrumpendos esse statuit: Cuiusmodi primus excogitasse dicitur Zabulus quidam illicitis artibus deditus, deinde Barnabas quidam Cyprius:

& hodie adhuc confictis titulis circunferuntur libri, sub nominibus Adæ, Abelis, Enoch, Abraæ, Salomonis: item, Pauli, Honorij, Cipriani, Alberti, Thomæ, Hieronymi, & Eboracensis cuiusdam Quorum nugas stulte secuti sunt Alphõsus rex Castellæ. Robertus Anglicus, Bacon & Apponus, & plerique alij deplorati ingenij homines: Præterea non homines modo, & sanctos, & patriarchas, et angelos dei, tam execrabilium dogmatum fecerunt autores, sed & libros a Raziole & Raphaele, Adami & Tobiæ angelis traditos ostentant: q libri tamen acutius inspicienti, suorum præceptorum canonem, ritum, consuetudinem, verborum & characterum genus, extructionis ordinem, insulsam phrasim, aperte sese produnt, nõ nisi meras nugas ac impostura continere, ac posterioribus temporibus ab omnis antiquæ magiæ ignaris, peritissimis perditionum artificibus esse conflatos, ex prophanis quibusdam obseruationibus nostræ religionis ceremonijs permixtis, insitisq, ignotis multis nominibus, & signaculis, vt perterreant rudes & simplices, & stupori sint insensatis, & his qui nesciunt bonas literas. Neq; tamen propterea patet has artes fabulas esse, nam nisi revera essent, atq; per illas multa mira ac noxia fierent, nõ tam arcte de illis statuissent diuinæ & humanæ leges, eas exterminandas esse de terra: Cur autẽ gentici isti solis malis vtantur dæmonibus, ea ratio est, quia boni angeli difficile comparent, quia dei iussum expectant, nec nisi mundis corde & vita sanctis hominibus congrediuntur: Mali autem faciles se exhibent ad inuocandum falso fauentes, et diuinitatem mentientes semper præsto, vt ãstũ suo decipiant, vt venerentur, vt adorẽtur: & quia mu

Ieres secretorum auidiores sunt, ac minus cautæ atq; in superstitionem procliues, faciliusq; illudun tur, ideo illis se præbent faciliores, faciuntq; ingen tia prodigia: cuiusmodi de Circe, de Medea, de a-lijs canunt poetæ. Testatur Cicero. Plinius, Sene-ca, Augustinus, et multi alij tum philosophi tum catholici doctores & historici: ipse etiam sacræ li teræ: nam in libris regum legimus pythonissam mulierem, quæ erat in Endor, euocasse animã Sa-muelis propheræ, licet plærique interpretẽtur, non fuisse animam prophetæ sed malignum spiritum qui illius sumpserit imaginem. Tamen Hebræo-rum magistri dicunt, quod etiam Augustinus ad Sim-plicianum fieri potuisse non negat, quia fuerit ve-rus spiritus Samuelis, qui ante completum annũ a discessu ex corpore facile euocari potuit, prout docent geotici: Quin etiam magi, necromantici il lud naturalibus quibusdam viribus, ac vinculis fieri posse autumant, sicut nos in libris nostris de occulta philosophia tractamus. Ideoque antiqui patres, rerum spiritualium periti, nõ sine causa or-dinauerunt, ut corpora mortuorum sepilerentur in loco sacro, & luminibus socientur, aqua benedi-cta aspergantur, thure et incenso suffumigentur et expientur orationibus, quousque super terram ex-titerint: Nam vt aiunt magistri Hebræorum om ne corpus nostrum & carnale animal, et quicqd in nobis super materia carnis male dispositа inni titur, relinquitur in cibum serpenti, et vt ipsi vocãt Azazeli, qui est dominus carnis et sanguinis & princeps huius mundi, et vocatur in Leuitico prin ceps desertorum, cui dictum est in Genesi, terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et in Esaia: Puluis panis tuus, hoc est corpus nostrum creatũ

ex puluere terræ, q̄ diu non fuerit sanctificatum, et transmutatum in melius, vt non amplius serpentis, sed dei sit effectum, videlicet ex carnali spiritu ale: iuxta verbum Pauli dicētis: Seminatur quod animale est, et resurget quod spirituale est. Et alibi: Omnes quidem resurgent, sed nō omnes immutabuntur, quia multi remansuri sunt in perpetuū cibum serpentis: Hanc itaq; turpem et horridam carnis materiam, ac serpentis cibum morte deponimus, illam aliquando in meliorem sortē, et spiritualem transmutatam reassumpturi, quod erit in resurrectione mortuorum: Et iam factum est in his qui primitias resurrectionis degustarūt, & multi hoc ipsum virtute deifici spiritus in hac vita consecuti sunt, Enoch, & Helias, & Moses quorū corpora transmutata in naturam spiritualem, nō viderunt corruptionem: nec licut cætera cadauera protestati serpentis relicta sunt. Atque hæc est illa disceptatio diaboli cum Michaele de corpore Mosi, cuius meminit in epistola sua Iudas, sed de Goetia & Necromantia hæc satis.

De theurgia. Caput XLVI.

THeurgiam vero plerisq; putant haud illicitam, quasi hæc bonis angelis diuinoq; numine regatur, cū sapientissime tamē sub dei & angelorum nominibus, malis dęmonum fallacijs obstringatur, non solum siquidē naturalibus uiribus, sed etiā certis ritibus & ceremonijs, cœlestes & p illas diuinas virtutes nobis conciliamus & attrahimus, de quibus multis regulis antiqui magi æditis voluminibus pertractāt. Omnia autem ceremoniarum pars maxima, in munditia seruanda consistit, primum quidem animi, deinde etiam corporis, & eoꝝ q̄ circa corpus sunt, vt in cute, in

vestibus in habitaculis, in uasis, in utensilibus, oblationibus, hostijs, sacrificijs, quorum mūditia ad diuinorum consuetudinem & contuitum disponit, & in sacris summopere efflagitatur, iuxta uerba Esaiæ: Lauamini & mundi estote, & auferte malum cogitationum uestrarum, immunditia uero quia aerem frequenter & hominem inficit, mū dissimum illum cœlestium & diuinorum influxū disturbat, & mundos dei spiritus fugat: Verū nōnunq̄ immundi spiritus, & decepitrices potestates, vt venerentur & adorentur pro dijs, etiam hanc munditiam exquirunt, ideo hic maxima opus est cautela, de quibus late in libris nostris de occulta philosophi a disseruimus: Verum de hac theurgia siue diuinorum magia plura disputans Porphyrius, tandem concludit theurgicis consecrationibus posse quidem animam hominis idoneam reddi, ad susceptionem spirituum & angelorum ad videndos deos, reditum vero ad deum hac arte præstari posse inficiatur omnino. Eius itaque scholæ sunt, ars alma del, ars notoria, ars paulina, ars reuelationum, & eiusmodi superstitionum plura, q̄ eo ipso sunt pernicioſora, quo apparent imperitis diuiniora.

De cabala. Caput XLVII.

VErum occurrunt hic mihi verba Plinij, qui, est & alia (inquit) magices factio a Mose etiamnum & Latopea Iudæis pendens: quæ verba me de cabala Iudæorum commonefaciunt, quam in monte Sina a deo ipso Mosi datam penes Hebræos constans opinio est, ac deinceps per successionū graduscitra literarum monumenta, vsq; in Ezre tempora posterioribus sola uiua voce tradita, quemadmodū Pythagorica do-

gmata olim ab Archippo & Lysiade, qui in Græcia Thebis scholas habuere tradebantur, in q̃bus discipuli memoriter doctorum præcepta tenentes, ingenio & memoria pro libris vtebantur: Sic & Iudæi quidam literas aspernati in memoria et obseruatione, ac vocali traditione hanc collocarunt, vnde cabala ab Hebræis quasi solo auditu vnius ab altero receptio nuncupata est. Ars (vt fertur) peruetusta, nomen autem non nisi recentibus temporibus apud Christianos cognitum, eius vero duplicem tradunt scientiam, vnam de Bresith, quam & cosmologiam vocant, videlicet rerum creaturarum naturalium & cœlestium vires explicantem, & legis bibliæ arcana philosophicis rationibus, exponentem, quæ profecto hac ratione nihil differt a magia naturali, in qua Salomonem regẽ præstitisse credimus. Legitur nam q̃ in sacris Hebræorum historijs illum disputare solitum a cedro Libani vsq̃ ad hyssopum. Item de iumentis, volucribus, reptilibus, & piscibus, quæ omnia magicas quasdam naturæ vires præ se ferre possunt, ipse quoque inter posteriores Moses Aegyptius in expositionibus suis super pentateuchum, & plures thalmudistæ hanc insecuti sunt, alteram vero eius scientiam vocant de mercana, quæ est de sublimioribus diuinarum, angelicarumq̃ uirtutum, ac sacrorum nominum & signaculorum contemplationibus, quædã quasi symbolica theologia, in qua literræ, numeri, figuræ, res et nomina, & elementorum apices, ac lineæ, puncta & accentus, omnia sunt profundissimarum rerum & magnorum arcanorum significatiua. Hanc rursus bifariam secant, in Arithmantiam, videlicet quæ notaria con vocatur, de angelicis virtutibus, nominibus, si-

gnaculisq́, etiam dæmonum ac animarum conditionibus tractans: atque in theomantiam quæ diuinæ maiestatis mysteria, emanationes, sacraq́ nomina, & pentacula scrutatur: quam qui norit, hunc aiunt admirandis pollere virtutibus, ita q̃d dũ velit, futura oĩa præsciat, toti naturæ imperet, in dæmones & angelos ius habeat, & miracula faciat. Hac putant Mosen tot signa ædidisse, virgã in colubrũ, aquas in sanguinem vertisse, ranas, muscas, pediculos, locustas, bruchos, ignem cum grãdine, vesicas & tabes Aegyptijs immisisse, primogenitum omne ab homine vsque ad pecus interemisse: suosq́ deducẽtem, mare aperuisse, fontẽ de petra, coturnices de cœlo produxisse, aquas amaras dulcorasse, fulgura & nubes per diem, columnam ignis per noctem, suis p̃misisse: vocẽ dei viuentis ad populum, e cœlis deuocasse: arrogantes igne, murmurantes lępra, percussisse: male merentes subita strage, alios terræ hiatu absorptos affecisse, populum cœlesti cibo pauisse, serpentes placasse, venenatos curasse, numerosam turbam ab infirmitate, uestes eorum a corrosione conseruasse, & hostium victricem reddidisse. Hac deniq́ miraculorum arte & Iosue stare solem præcipisse. Eliam ignem in aduersarios e cœlo deuocasse, puerũ mortuum vita restituisse, Danielem leonum ora perstrinxisse, tres pueros in camino æstuantes incẽ diĳ carmine lusisse. Porro hac arte astruũt perfidi Iudæi etiã Christ. tã admirãda sæpe fecisse, Solomonẽ q̃q́ hãc peralluisse, atq́ ex ea artẽ cõtra dæmones eorundẽq́ vincula, & cõiurationũ modos, ac contra morbos excantamẽta tradidisse, vt autor est Iosephus: Verũ ego deũ Mosi cæterisq́ prophetis multa q̃ cõtinerent sub cortice ỹ bonæ legis, pro

phano vulgo non cõmunicãda mysteria retexuisse, vt nõ dubito. Sic hanc quã iactant Hebęi cabalę artẽ, quã ego multo labore aliqñ scrutatus sum, nõ nisi merã supstitiõis rapsodiã, ac theurgicã quãdam magiã agnosco, q̃d si (q̃d Iudęi iactãt) a deo profectã ad vitæ perfectionẽ, ad hoim salutẽ, ad dei cultũ, ad intelligẽtiæ ỹitatẽ cõduceret, pfecto spũs ille veritatis, q repudiata synagoga venit nos docere oẽm veritatẽ, hãc vsq; in hæc postrema tpa, suã non celasset ecclesiã, q̃ profecto oĩa nouit quæ sunt dei, cuius bñdictio, baptismus, cætera q; salutis sacramẽta reuelatã, & perfecta sunt in oĩi lingua, vniuscuiusq; ẽm linguę par est et eadẽ ỹtus, mõ par sit & eadẽ pietas, nec est aliud nomẽ in cœlis nec in terra in quo oporteat nos saluos fieri, & in quo operemur virtutẽ, pter vnum nomen Iesu, in quo recapitulantur, & continentur cĩa. Hinc Iudęi in diuinis nominibus peritissimi parum aut nihil post Chr̃m operari pñt, sicut prisci illoꝝ partes. Quod autem experimur et videmus huius artis (vt vocant) reuolutionibus, sæpe miras magnorum mysteriorum a sacris literis extorqueri sententias, totum hoc nihil aliud est q̃ lusus quidã allegoriarũ, quas ociosi homines in singulis literis & pũctis & numeris occupati q̃d hæc lingua & scribẽdi ritus facile patiunt̃, pro eoꝝ arbitrio fingũt atq; refingũt, q̃ etsi nõnunq̃ magna sonẽt mysteria, nihil tñ probare, nec euincere q̃unt, quin iuxta ỹba Gregorĩ eadẽ facilitate contẽnere liceat, qua asseruntur. Cõfinxit simili artificio plæraq; Rabanus monach. sed latinis characteribus & ỹsibus, insertis variis imaginibus, q quaq; ỹsus lecti, per q̃libet superficiei ac imagiñ liniamẽta sacrum aliquod enunciant mysteriũ depictæ illic historiæ repræsentatiuum, quæ etiam ex prophanis literis extorq;ue

Hieronym.

et posse nemo ignorat, qui Valerię Probæ ex Vergilij carminibus compositas, de Christo centones legerit, quę omnia & eiusmodi sunt speculationes ociosorum hominum. Quod autem ad miraculorum operationem attinet, nemi nē uestrum puto tā stolidæ ceruicis, qui de ijs credat aliquam haberi artem vel scientiam. Est itaq; nihil aliud hæc Iudæorum cabala, q̄ pernitiosissima quædam superstitiō, qua verba & nomina, & literas sparsim in scriptura posita pro arbitrio suo colligunt, diuidunt, transferunt, & alterum ex altero facientes, soluunt membra veritatis, sermones, inductiones, & parabolas hinc inde ex proprijs fictionibus cō struentes, aptare illis volunt eloquia dei, infamantes scripturas, & dicentes sua figmenta ex illis cō stare, calumniantur legem dei, & per impudenter extortas supputationes dictionum, syllabarum, literarum, numerorum tentant violētas & blasphemas perfidiæ suæ inferre probationes. Præterea ijs nugis inflati ineffabilia dei mysteria & quæ sunt supra scripturam arcana sese inuenire & scire iactant, per quæ etiam prophetare & virtutes & miracula sese perficere, sine rubore, magnaq; audacia mentiri non erubescunt, sed accidit illis quod Cani Aesopico, qui pane relicto & in vmbram eius inhiante perdidit escam, sic perfidum hoc & duræ ceruicis hominum genus semper in vmbris scripturæ occupatum, & circa illas vanitates suæ artificiosa sed superstitiosa cabala impetum faciens, amittit panem vitæ æternæ, & inanibus nominibus depastum pdit verbum ueritatis. Ex hoc cabalisticæ superstitionis Iudaico fermento prodierunt, puto Ophitæ, Gnostici, & Valentiniani hæretici, qui ipsi quoq; cū discipulis suis grecā quan-

dam cabalam commenti sunt omnia Christianæ fidei mysteria peruertentes, & hæretica prauitate ad græcas literas, & numeros protrahentes ex illis construentes corpus, quod vocant veritatis, docentes absq; illis literarum & numerorum mysteriis nō posse in euangelicis literis inueniri veritatem, quia variæ sunt, et alicubi sibi repugnantes, plenæq; parabolis scriptæ, vt videntes non videant, & audientes non audiant, & intelligentes nō intelligant, sed cæcis & errantibus iuxta suæ cæcitatis & erroris capacitatem propositas, latentem vero sub illis synceram veritatem solis perfectis, nō per scripta, sed per viuæ vocis successiuam pronunciationem esse creditam, atq; hanc esse illam alphabetariam et arithmanticam theologiā quā Christus secreto manifestauit apostolis, & quam Paulus se loqui dicit non nisi inter perfectos. Cum enim hæc altissima sint mysteria, ideo nec scripta esse nec scribi, sed in silentio seruari apud sapientes, in abscōdito secū illa custodientes. Sapiēs aūt apud eos nemo, nisi qui maxima hæreseos mōstra fabricare nouit.

De præstigiis. Caput XLVIII.

Sed redeamus ad magiam, cuius particula etiam est præstigiorum artificium, hoc est, illusionum, quæ secundum apparentiam tantum fiunt, quibus magi phantasmata ædunt, multaq; miracula circulatoriis fraudibus ludunt, & somnia immittunt, quod nō tam geoticis incantamētis, & imprecationibus dæmonumq; fallaciis, q̄ etiam certis fumigiorum vaporibus, luminibus, philtris, collyriis, alligationibus, & suspensationibus. Præterea annulis, imaginibus, speculis, similibusq; magicæ artis pharmaciis, & instrumētis,

naturali cœlestique virtute perpetratur. Multa & manuum prompta subtilitate & industria fiunt, cuiusmodi ab histrionibus & ioculatoribus quotidie fieri videmus, quos idcirco chirosophos, hoc ē, manu sapientes appellamus. Extant de hoc artificio libri p̄stigior̄: Hermetis et quorundā aliorū, legimus quoq; Paseten quendā præstigiatorē, refertissimum conuiuium hospitibus monstrare soli tum, idq; cum libuit rursum euanuisse, discumbentibus omibus fame ac siti elusis: Numam Pompilium etiā istiusmodi præstigijs vsum legimus. Sed et doctissimum Pythagoram id ridiculum aliqñ factitasse, vt quæ collibuisset, sanguine perscriberet in speculo, quo ad pleni luminis lunæ orbem oblato, stanti a tergo res exaratas in disco lunæ cōmonstrasse. Huc spectat etiam quicquid de hominum transformationibus legitur decantatū a Poetis, creditum ab historicis, et a nonnullis Christianis theologis, insuper a sacris literis adsertū. Sic apparent homines asini vel equi, vel alia animalia oculis fascinatis, aut perturbato medio idque arte naturali, nonnunq; etiam hæc fiunt a bonis et malis spiritibus, seu ad bonorum preces ab ipso deo, sicut in sactis literis legimus de Eliseo propheta obsesso ab exercitu regis Syriæ vallantis Dothain, verum puris & aptis a deo oculis ista non possunt illudere: Sic mulier illa quæ a vulgo iumentum iudicabatur, Hilarioni non iumētum, sed quod erat mulier videbatur: ea igitur, quæ hoc modo secundum apparentiam fiunt, præstigia dicuntur: Quæ autem fiunt arte permutantium aut transferentium, vt de Nabuchodonosor, aut messibus ad alios agros traductis, de his diximus superius: verum de hac præstigiorum arte sic ait Iamblichus:

Quæ præstigiati seu fascinati imaginantur, prætet imaginatiua, nullam habent actionis & essentiæ ueritatem. Eiusmodi namque artificij finis est non facere simpliciter, sed vsque ad apparentiam imaginamenta porrigere, quorum mox nullum compareat vestigium : Iam itaque ex his quæ dicta sunt, patet non aliud esse magiam quam cõplexum idololatriæ, astrologiæ, superstitiosæq; medicinæ. Iamque etiam a magis magna hæreticorum caterua in ecclesia orta est, qui sicut Iannes & Mambres restiterunt Mosi, sic illi restiterunt apostolicæ veritati: horum princeps fuit Simon Samaritanus, qui Romæ sub Claudio Cæsare propter hanc artem statua donatus est cum hac inscriptione. Simoni sancto deo. Eius blasphemias copiose narrant, Clemens, Eusebius, & Ireneus. Ex hoc Simone tãquam ex hæresum omnium seminario, per multas successiones monstrosi Ophitæ, turpes Gnostici, impij Valentiniani, Cerdoniani, Marcionistæ, Montaniani, & multi alij hæretici prodierunt, propter quæstum & inanem gloriam, mentientes aduersus deum, vtilitatem nullã, neq; beneficia hominibus præstantes, sed decipiẽtes & in perniciem & in errorem mittentes, & q credunt illis confundentur in iudicio dei: Verum de magicis scripsi ego iuuenis adhuc libros tres amplo satis volumine, q̃s de occulta philosophia nũcupaui, in quibus quicquid tunc per curiosiam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recantatum volo, per multum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contriui. Tandẽ hoc profeci q̃ sciã qs rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari: Quicunq; em̃ non

in veritate, nec in virtute dei, sed in elusione dæmonũ, secũdum operationẽ malorũ spirituũ, diuinare & prophetare præsumũt, & per vanitates magicas exorcismos, incantationes, amatoria, agogima & cætera opa dæmoniaca, et idololatriæ fraudes exercentes, præstigia & phantasmata ostentãtes mox cessantia, miracula sese operari iactãt. Omnes hi cum Iamne & Mambre et Simone mago æternis ignibus cruciandi destinabuntur.

De philosophia naturali. Ca. XLIX.

CAeterum nunc ad vlteriora procedamus, ipsiusq; philosophiæ placita, & q̃ naturam ipsam scrutantur, rerumque principia & fines vafris syllogismis inquirunt scientias inuestigemus. Quæ profecto quã habeant certitudinem aliã a doctorũ suorum fide omnis homo ignorat. Hanc primo poetæ professi sunt, e quibus Prometheus, Linus, & Museus, & Orpheus, porro Homerus primi inuentores numerantur. Philosophia itaq; nunc quã nobis veritatem pstare poterit, q̃ ipsa ex poetarum nugis fabulisque progenita est, q̃d ita esse manifestis indicijs probat Plutarchus, omnes videlicet philosophorum sectas ab Homero principium sumpsisse: ipseq; Aristoteles fatet, etiam philosophos natura philomytos, hoc est, fabularum studiosos esse. Sectas philosophorum, alij nouem, alij decem, sed multo maiori numero illas Varro partitus est: Quod si quis etiam omnes philosophos in vnum congregauerit, adhuc inter eos constare non poterit, quæ secta potior dicẽda sit, quorum dogmatibus potius parendum: Adeo circa singula, inter se pugnant atque dissentiunt, perpetuamque hanc per secula litem alunt, & (quod ait Firmianus) vnaquæq; secta omnes alias euer

tit, vt se suaque cõfirmet, nec vlla alteri sapere cõcedit, ne se desipere fateatur: Cunque de singulis philosophia disputat & opinatur, de nullis certa est. Vnde philosophos an inter bruta, an inter homines numerem plane nescio: brutis siquidem præstare videntur, eo q̃ rationem habent & intelligẽtiam, homines autem quomodo erunt, quorum ratio nihil constans persuadere potest, sed semper in lubricis opinionibus vacillat, quorum intellectus ad oĩa incertus nõ habet quod teneat, aut sequat̃, idq̃ nunc ita esse diffusius ostendamus.

¶ De principijs rerum naturaliũ. Cap. L.

NAm imprimis de rerum naturalium principijs, super quibus tota hæc facultas fundatur, acerrima pugna inter grauissimos philosophos certatur: & adhuc sub iudice lis est, quis eorum melius dixerit, admodum persuadibiles inuincibilesq̃ de contrarijs adferũt rationes: Nam Thales Milesius primus sapiens ab oraculo iudicatus, ex aqua omnia constare voluit. Eius auditor & in schola successor Anaximander rerum principia dixit infinita: illius autem discipulus Anaximenes infinitum aerem esse rerũ principiũ astruxit: Hipparchus, Heraclitus Ephesius ignem, his ambobus quodammodo adsentit Archelaus Athenienſis, Anaxagoras Clazomenus, infinita principia tanquam particulas minutas & confusas, sed diuina mente in ordinem posstea redactas: Xenophanes vnum esse omnia, neq̃ idipsum motabile: Parmenides calidum & frigidum, tanquam ignem qui moueat, & terram q̃ formet: Leucippus, Diodorus, & Democritus plenum & vacuum: Diogenes libertus aerem, diuinæ tamen rationis compotẽ: Pythagoras Samius

numerum statuit rerum principium, quem sequit Almeon Crotoniates. Empedocles Agrigentinus litem & amicitiam ac quatuor elementa, Epicurus atomos & inane. Plato ac Socrates deum, Ideas, materiam: Zeno deum, materiam & elementa: Aristoteles materiam ad appetitum formæ per priuationem, quam ipse inter principia tertiũ ponit, contra id quod alibi docuit æquiuoca non debere annumerari: quare alij recentiores peripatetici, loco priuationis, motum quendam vtraque cogentem posuerunt, qui cum sit accidens, quomodo erit principium substãtiæ, aut quis erit eius motus motor? ideo Hebræorum philosophi, materiã, formam & spiritum statuerunt:

De mundi pluralitate, & eius duratione. Caput LI.

CAEterum cum de mundo disputant, nihilominus dissentiunt: Thales vnum mundum censuit, illumque dei facturam asserit: Empedocles similiter vnum, sed vniuersi tantũ exiguam esse particulam: Democritus & Epicurus contra, mundos esse innumerabiles, quos sequitur Metrodorus horum discipulus, dicens innumeros esse mundos, quia causæ eorum innumerabiles sint, nec minus absurdum esse tantum vnum in vniuerso esse mũdum, quam in agro unam duntaxat nasci spicam. De mundi autem duratione locuti Aristoteles, Auerrois, Cicero, Xenophanes, illum æternum omnis corruptionis expertem dicunt: Nam cum non possent intelligere (vt Censorinus ait) oua ne an aues ante generatæ sint, cum & ouum sine aue, & auis sine ouo gigni non posset: hinc arbitrati sunt mundum hunc & vniuscuiusq; geniti initiũ simul & finẽ perpetua reuolutio

ne sempiternū. Pythagoras & Stoici a deo genitū, & aliqñ q̄tum ex sui natura est corrumpendū, qs cū sentiunt Anaxagoras, Thales, Hierocles, Auicēna, Algazel, Alcmous, & Philo Hebræus: sed Plato asserit a deo illū ad sui exēplar fabricatū nunq̄ desiturū, Epicurus contra plane interituru. Democritus semel mundū genitū docet & interiturū, nec vnq̄ repandū: Empedocles & Heraclitus Ephesius non semel, sed sp mundū generari & corrumpi asserunt. Agamus liceat de re quapiā quā illi a causa naturali potissimum procedere dicunt, puta de terræmotu, adhuc ipsum vnanimiē adinuenire nequierunt, sed per multa vagati, causam eius Anaxagoras ęthera dixit: Empedocles ignē: Democritus et Thales Milesius aquā: Aristoteles, Theophrastus, & Albertus ventū vel vaporē, subterraneum: Asclepiades casum vel ruinam: Possidonius Metrodorus, Calistenes Parcas, Seneca & alij in diuersa distracti, causam eius effectus frustra inq̄sierūt: propterea veteres Romani, vbi terram tremuisse senserant nuntiatūue esset, ferias quidē imperabāt, sed cui deoꝝ seruari illas oporteret nō edicebant: qm̄ qua vi et per quē deorum terra tremeret adhuc incertum esset.

De anima. Caput LII.

QVod si de anima ab illis aliquid scisciteꝫ mur multo minus conueniunt: nam Crates Thebanus nullam esse animā ait, sed corpora sic a natura moueri, qui aūt animā fassi sunt, plærique illā corpꝝ tenuissimū opinati sunt: hic crasso corpori suffusum, sed illorum alij illud esse igneum dixerūt, vt Hipparchus et Leucippus, quibus quodammodo consentiunt Stoici dicentes animam esse spiritum feruidum, ac Democritus,

dicens illam esse spiritum mobilem & ignitum, atomis insertum: alij dixerunt esse aerem, ut Anaximenes & Anaxagoras, Diogenes Cynicus, & Critias, quibus astipulatur Varro, inquiens: Anima est aer conceptus ore defruefactus in pulmone, temperatus in corde, diffusus in corpus: Alij aqueum, vt Hippias: Alij terreum, vt Hesiodus et Pronopides: quibus quodammodo assentiunt Anaximander & Thales ambo conciues Milesij: Alij mixtum ex igne & aere spiritum, vt Boetes & Epicurus. Alij ex terra & aqua, vt Xenophontes: Alij ex terra & igne, vt Parmenides: Alij sanguineum, vt Empedocles & Circias: Alij spiritū tenuem per corpus diffusum, vt Hippocrates medicus: Alij carnem cum sensuū exercitio, vt Asclepiades: Multi autem alij arbitrati sunt animam non corpusculum illud, sed illius quandam qualitatem vel complexionem, p illius particulas spargam, vt Zeno Citiæus & Dicearchus animā definiens quatuor elementorum complexionem atque Cleantes, Antipater, Possidonius, dicentes illam esse calorem siue complexionem calidam, quibus adhæret GALENVS Pergamenus. Sunt & alij qui dixerunt animam non eam esse qualitatem seu complexionem, sed tanquam eius pūctum aliquem in aliqua certa corporis parte, vt corde vel cerebro residentem, & exinde totum corpus gubernantem. Ex quorum numero sunt Chrysippus, Archelaus, & Eraclitus Ponticus, qui animam vocauit lucem. Sunt rursus alij qui adhuc liberius quidda m opinati sunt animam, vt punctum aliquem liberum nulli corporis parti alligatū, sed ab omni determinato situ seclusum, et totī cuiq; corporis parti pīsentem; quē

siue complexio genuerit, siue deus creauerit, tamẽ ex materiæ gremio eductus sit. Huius opinionis fuerunt Xenophanes, Colophonius, Aristoxenes & Asclepiades medicus, dicens animam esse sensuum coexercitationem, & Critolaus peripateticus, dicens eam esse quintam essentiam, ac Thales Milesius dicens animam esse naturam irregetam sese mouentem, & Xenocrates vocans eam sese mouentem numerum, quem sequuntur Aegyptij, dicentes animam esse vim quandam in oia corpora transmeantem, & Chaldæi, inquientes eam esse virtutem absq; determinata forma, omnes tamen exteras suscipientem, omnes quidẽ in hoc conuenientes, q; anima sit vis quædam magis ad mouendum, vel esse partium corporalium sublimem quandam harmoniam, sed tamen ab ipsa corporis natura dependentem, atq; horũ vestigia sequitur dæmoniacus Aristoteles, qui inuento nouo vocabulo animam vocat entelechiam, scilicet perfectionem corporis naturalis organici potentia vitam habentis, dantem illi principium intelligendi, sentiendi, & mouẽdi. Atq; hæc est tã receptissimi philosophi de anima futilis definitio quæ non essentiam, naturam, aut eius originem declarat, sed effectus. Porro supra hos omnes sunt alij, qui dixerunt animam esse diuinam quandã substantiam, totam ac indiuiduam, ac toto ac cuique corporis parti præsentem, ab incorporeo ac autore taliter productam, vt ex sola agentis virtute non ex materiæ gremio dependeat. Eius opinionis fuerunt Zoroastes, Hermes Trismegistus, Orpheus, Aglaophemus, Pythagoras, Eumenius, Ammonius, Plutarchus, Porphyrius, Timæus, Locrus, & diuinus ille Plato, dicens animam esse

essentiam sui motricem intellectu præditam. Eumonius episcopus partim Aristoteli, partim platoni consentiens, definit animam esse substantiam incorpoream in corpore factam, super qua definitione deinde reliqua sua dogmata fabricauit. Cicero, Seneca, Lactantius, quid sit anima dicũt penitus ignorari. En videtis de animæ essentia quã inter se dissident, nec minus ridicule de eius sede inter se variant: nam Hippocrates & Hierophilus in cerebri ventriculis illam ponunt: Democritus in toto corpore, Erasistratus circa membranã epicranidem, Strato in superciliorum interstitio, Epicurus in toto pectore, Diogenes in cordis arteriato ventriculo, Stoici cum Chrysippo in toto corde ac spiritu circa cor versante, Empedocles in sanguine, cui adstipulatur Moyses, idcirco prohibens vesci sanguine, quia animalis anima sit in illo: Plato & Aristoteles & reliqui nobiliores philosophi in toto corpore, Galenus autem in quauis corporis particula suam esse animam putat, sic enim ait in libro de partium vtilitate. Multæ animalium etiam particulæ hæ quidem maiores illæ minores, aliæ vero omnifariam in animaliũ speciem indiuisibiles, necessario autem ijs omnibus anima quæuis indiget corpus enim huius organum, & propterea multum a seinuicem animalium particulæ differunt quia & animæ. Neque vero hic prætereundam censeo Bedæ theologi sententiã, qui scribens super Marcum: Animæ locus ingt principalis non iuxta Platonẽ in cerebro, sed iuxta Christũ in corde est. De animæ aũt duratione, Democritus et Epicurus vna cum corpore iteriturã aiũt. Pythagoras & Plato oĩno immortalem, sed egressam corpus, ad sui gñis natu

ram deuolare. Stoici tanquam inter hos medij, animam corpus relicturam, sic, vt quę in vita hae nullis sublimata virtutibus, intirmior sit, vna cū illo emori: sin autem heroicis formata virtutibus, permanentibus illam naturis sociari, & ad sublimiores sedes euadere putant. Aristoteles quasdā animæ partes, quæ corporeas sedes habeant, ab illis inseparabiles esse, vnaq; cum illis interire dicit: intellectum autem qui nullius sit corporei organi, velut perpetuum a corruptibili separari: Sed adeo nihil manifesti dicit, vt eius interpretes adhuc de ea re disputent. Alexander Aphrodiseus ait manifesto, eum mortalem posuisse animam, idem sentit ex nostris Gregorius Nazianzenus: Cō tra hos Pleton, & ex nostris Thomas Aquinas pro Aristotele digladiantur, illum de animæ immortalitate recte sentire: Porro Auerrois eximius ille Aristotelis commentator, hominē quēq; propria anima pollere putat, sed mortali: Mentē ꝙ humanam seu intellectum dicamus esse vsquequaque ab omni tam anteriore q̄ posteriore parte æternam, sed omnibus hominibus seu humanæ speciei vnam qua tm̄ in vita vteremur. Themistius vero ait, Aristotelem mentem qdem agentē vnicam, capacem autem multiplicem posuisse, atque vtramq; perpetuam: Horum præterea philosophorum opera factum est, vt etiam inter Christianorum Theologos de animarum origine ortū sit dissidium, quorum aliqui a mundi origine factas in cœlo omnium hominum animas putant, inter quos est vnus de multis doctissimus Origines, Augustinus quoque primi parentis animam cœlitū ortā putat corpore antiquiorem, idq; postea tanq; aptum sibi comtemplatam domicilium volu-

tario motu expetisse, quanquam ne hoc quidem satis constanter affirmare videatur. Alij extradu ce animam propagari putant, sicq; animam ab anima generari, quemadmodum a corpore corpus: in qua opinione fuit Apollinaris Laodiceæ episcopus, & Tertullianus, Cirillus, & Luciferia nus. contra quorum hæresim disputat Hieronymus. Alij a deo animas quotidie creari tradunt: hos sequitur Thomas, eo peripatetico argumento pugnans: quod cum anima sit corporis forma, eam non seorsum, sed in corpore creari debere: q̄ opinionem sequitur iam fere omnis recentiorum theologorum schola, mitto gradus animarum, ascensiones & descensiones, quas Originistæ inducunt, sed diuinis scripturis non corroberatos, nec Christianorum dogmatibus conformes, adeo nihil neq; apud philosophos, neq; apud Theologos de anima certum: Nam Epicurus & Aristoteles mortalem putant, Pythagoras in gyrum ducit, & sunt (vt quodam loco ait Petrarcha) qui eā contrahunt ad suum corpus: sunt qui etiam spargunt in corporibus animantium, sunt qui cœlo reddant, sunt qui circa terras exulare cogant, sunt qui inferos asserunt, sunt qui negēt: sunt qui vnam quanq; per se, sunt qui omnes simul animas creatas putent, hæc ille. Fuit & Auerrois qui mirabilius quiddam dicere ausus, vnitatem (vt dixit) attulit intellectus. Manichæi hæretici dixerunt, vnā solam esse omnium, seu vniuersi animam in singula corpora tam animata quam inanimata dispertitam, sed minus participare quæ nobis videntur anima expertia, magis autē quæ animata, maxime vero cœlestia: atq; sic tandem concludunt, non nisi vniuersalis animæ partes esse singulares

mam astruit, particularium vero alias, quasi separatim vniuersum sua anima existat animatum, diuisim itē particularia: Præterea alij vnam animarum speciem: alij non vnam sed duas, rationalem & irrationalem: alij multas, & tot quot sunt animalium species affirmant. Galenus medicus diuersis iuxta speciem diuersas item esse animas sentit, isuper & multas in eodem corpore animas ponit: Sunt & qui in homine duas animas ponūt, vnam sensitiuam a generante, aliam intellectiuam a creante, inter quos est Occam Theologus Plotinus aliam esse animam & alium asserit intellectum, quem sequitur Apollinaris. Quidam non distinguunt ab anima intellectum, sed illum substātiæ animæ principalem partem esse dicūt, verum Aristoteles hunc potentia adesse huiusmodi atque actu deforis illi superuenire opinatur, neque ad naturam hominis & essentiam conferre, sed ad perfectionem cognitionis & contemplationis, ideoque paucos homines & solos philosophos illum qui actu intellectus dicitur habere affirmat: Quippe etiam grauis inter theologos disputatio est, an (quæ Platanicorum opinio est) in animabus exutis, eorum quæ in vita gesserint relinquerintq; memoria sensusq; supersint, aut istorū cognitione omnino careant, quod Thomistę cum suo Aristotele firmiter tenent, & Carthusienses exemplo confirmant, de Parhisiensi illo theologo ab inferis reuerso, qui interrogatus quid illi restaret de de scientia sua, respondit, nihil se scire nisi pœnam & citato Salomonis verbo, non est ratio, non sciētia, non opes apud inferos, concluisse illis videbatur, nullam mortuis superesse cognitionem: Quod tamen manifestę est, non ram contra Platonico

rum assertionem q̄ contra scripturæ autoritatem veritatemq̄, cum dicat scriptura visuros & scituros impios: q̄a ipse deus est, qn & oim non mō factorꝝ, sed & verborꝝ ociosorum & cogitatuum rationem reddituros: Sunt etiam q̄ de animarum separatarū apparitiōibus plura scribere & referre audēt, eaq̄ non raro ab euāgelica doctrina & sacro canone aliena, atq̄ cum præcipiat Apostolus, ne angelis de cœlo credendum esse, si quid renunciarent aliud quam quod traditum est: Adeo penes istos antiquatum est euangelium, vt citius magisq̄ credant vni ex mortuis renuntianti, quā prophetis quam Moysi, quam apostolis, quam euangelistis, talis profecto fuit doctrina atq̄ sentētia diuitis sepulti in inferno, qui putabat tūc credituros superstites fratres, si quis ex mortuis iret, et testificaretur illis. Cui sic opinanti in euangelijs cō tradicit Abraham inquiens, si Moysi & prophetis non credant, neq̄ si quis ex mortuis mittatur credituros: neq̄ tamen propterea pias defunctorꝝ apparitiones, admonitiones, & reuelationes oīmino inficior, sed valde suspectas esse admoneo, satana sese sæpissime in lucis angelum & animarum effigiem transfigurante: quo circa credendi anchora in illis non est fingenda, sed ad ædificationem pie acceptanda sunt, sicut alia quæ extra sacrum canonem, vel inter apocrypha sunt: circūferuntur de his nugis multi fabulosi libelli Tundali, & qui consolationis animarum inscribitur: & alij quorum exemplis, concionatores quidam imperitam plebeculam territant, & munuscula extorquent: scripsit etiam recentibus diebus de spiritu quodam Lugdunensi fabulam, protonotarius quidam Gallus homo nequam & impostor, Ex

laudatis autem scriptoribus, agit de istis Cassianus & Iacobus de paradiso Carthusianus, verum nihil vnquam solidæ veritatis aut abditæ sapientiæ, quæ veram charitatem & animarum nostrarum salutem ædificarent, ab his animarum apparitionibus reuelatum est, sed duntaxat eleemosynæ, peregrinationes, orationes, ieiunia, & reliqua popularis pietatis opera persuasa sunt, quæ tamē multo melius salubriusq; docent sacræ literæ, præcipitq; ecclesia, verum de his apparitionibus late scripsimus in dialogo nostro de homine, & in libris de occulta philosophia, sed modo redeamus ad philosophos. Ethnici omnes qui animam immortalem asseruerunt, animarum transmigrationem communi consensu astruunt, & rationales animas ad rationis expertia corpora, & ad plantas vsq; transmeare per tempora quosdam periodos, vel vt aliter contigerit, harum transmigrationum autorem ferunt Pythagoram de quo in trās figurationibus sic cecinit Ouidius.

Morte carent animæ, semperq; priore relicta,
Sede nouis domibus viuunt habitantq; receptæ:
Ipse ego nam memini Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore qnondam,
Hæsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ
Cognoui clypeum leuæ gestamina nostræ
Nuper ab Anteis templo Iunonis in Argis.

Multo plura de hac Pythagorica migratione scripserunt Timon, Xenophanes, Cratinus, Aristophon, Hermippus, & Lucianus, & Diogenes Laertius: verum Iamblicus & plærique alij cum Trimegisto non ab hominibus ad rationis expertia animalia, neque ab illis itē ad hoies,

sed ab animalibus ad animalia, et ab hominibus ad homines transmigrationes duntaxat fieri consentiunt: sed & sunt philosophi ex quorum numero Euripedes Anaxagoræ consectator & Archelaus physicus, atq; post eos Auicenna, qui primos homines olerūmore ex terra natos tradant, eo ipso nō minus ridiculi poetis, qui homines quosdam satiuos ex serpentum dentibus progerminasse fabulantur. Sunt qui generationem omnino negent, vt Pyrrho Elienſis, sunt & qui negent motum, vt Zeno.

De metaphysica. Cap. LIII.

Sed ad vlteriora progrediamur ostendamus quę philosophos illos nō solum de ijs quæ in rerum natura videntur, sed etiam de figmentis cogitationum suarum digladiari, atque de ijs rebus quæ nullis principijs firmantur, neq; certū est an sint vel non sint, vt quas absque corpore & materia subsistere opinantur, quasq; formas separatas vocant, quæ quoniam in rerum natura non sunt, sed supra illam esse putant, idcirco transnaturalia seu metaphysica vocant, hinc illæ innumerabiles de drijs & vndiquè sibi repugnantes, nec minus impiæ quam indoctæ opiniones prodierunt: nam Diagoras Milesius et Theodorus Cyrenaicus, nullum prorsus esse deum dixerunt: Epicurus autem esse quidem deum asseruit, sed nulla inferiorum cura teneri, Protagoras esset nec ne nihil sciri posse dixit, Anaximādernatiuos deos putabat longisque interuallis orientes occidentesq; Xenocrates octo esse deos dixit: Antisthenes multos quidem deos populares, sed vnum naturalem summum totius artificem: sed in tantam insaniam multi eorum prolapsi sunt, vt quos adorarent

deos proprijs manibus ipsi ibi fabricarent, vt erat statua Beli apud Assyrios, quos tamen factitios deos mirum quam extollat Hermes Trismegistus in suo Aesculapio. De diuina autem essentia loquuti, Thales Milesius mentem dixit deum, q ex aqua cuncta formauerit: Cleantes & Anaximenes aera deum dixerunt: Chrysippus naturalē vim ratione præditam, seu diuinam necessitatem Zeno diuinam naturalemq; legem: Anaxagoras infinitam mentem per se mobilem: Pythagoras animum per naturam rerum omnium intentum & comeantem, ex quo omnia vitam capiūt Crotoniates Alcmeon solem, lunam, cæteraſque stellas deos dixit: Xenophanes omne quod esset, deum esse voluit: Parmenides continentiū quendam lucis orbem, quem stephanen, hoc est, coronam pro deo statuit: Aristoteles, quasi ex cœlorū motu satis explorata deorū cognitio haberi posset, ex illorum natura deos commentus est, ac diuinitatem modo menti tribuit, modo cœli ardorem deum dicit, modo mundum ipsum deum statuit, modo alium illi deum præficit, hunc eadem inconstantia sequitur Theophrastus. Transeo qd Strato, Perseus, Atisto Zenonis discipulus, Plato, Xenophon, Speusippus, Democritus Heraclides, Diogenes Babylonius, Hermes Trismegistus, Cicero, Seneca, Plinius & reliqui censuerunt, quorū opiniones tamen a prioribus illis & iam recitatis non longe discedunt. Possem etiam reliquas illorum lites, & verborum portenta percurrere, de ideis, de incorporeis, de atomis, de hyle, de materia, de forma, de vacuo, de infinito, de æternitate, de fato, de transcendentibus, de introductione formarum, de materia cœli, an ex elementis sydera

constent, an ex quinta essentia, quam Aristoteles introducit: decq; similibus quæ insanis hominibus opinandi ac dubitandi cõtendẽdiq; materiam p̃bent: sed satis me indicasse arbitror, quam nihil inter philosophos de veritate ipsa conueniat, quibus quo quis redditur propinquior, eo magis a vero ipso longiusque abest, & a catholica religione aberrat. Hinc errasse scimus Ioannem vicesimũ secundum Romanum Pontificem, volentem animas beatas non visuras faciem dei ante diem iudicij: scimus Iulianum apostatam Christum abnegasse non alia causa, quam q̃ philosophiæ studiosior, humilitatem fidei Christianæ irridere, ac contemnere cœpit. Eadem causa Celsus, Porphyriuc, Lucianus, Pelagius, Arrius, Manichæus, Auerrois, multiq; alij tanta rabie aduersus Christũ & ecclesiam eius oblatrarunt. Hinc natum illud apud vulgus prouerbium: Maximos quosq; philosophos, maximos esse hæreticos solere: sed & Hieronymus vocat eos patriarchas hæreticorũ, & primogenita Aegypti, & vectes Damasci nimis vere dicta: nam quicquid hæresum vnquam fuit, totum hoc & omne ex philosophiæ fontibus ceu primo seminario scaturijt. Ab hac ferme tota theologia adulterata est, ac pro euangelicis doctoribus pseudoprophetæ, hæretici, ac philosophi nati sunt, qui diuina oracula humanis inuentis ꝙquarunt, ac mutabilibus hominum dogmatibus polluerunt, ipsamq; simplicẽ theologiam (vt ait Gerson) ad verbosam & sophisticam loquacitatem, ac Chimerinam mathematicam reduxerũt. Quod prævidens Paulus apostolus toties nos hortatur ac cauere iubet, ne quis nos per philosophiam deprædetur vel seducat, Augustinus ciuitatẽ

dei ab illa tuetur atq; defendit. Reliqui ferme omnes theologi & sancti patres eam a Christianis scholis procul propellendam, penitusque extirpādam censuerūt. Nec desunt etiam ethnicorum exempla, quibus id aliquando factitatum legimus: nam sustulerunt Athenienses Socratem philosophiæ parentem, eiecerunt vrbe philosophos Romani, Messaniq; & Lacones ne admisere vnquam, quin etiam sub Domitiano vrbe exacti sunt, & tota insuper Italia interdicti. Extat etiam Antiochi regis decretum in adolescentes qui philosophari auli sunt, atque etiam in parentes qui liberis id admittebant, nec modo ab imperatoribus regibusq; dānati pulsiq;, sed a doctissimis viris æditis libris reprobati, e quorum numero sunt Phliasius, Timon, qui opus nomine Syllos in derisionem philosophorum scripsit, & Aristophanes qui in eos comœdiam scripsit, cuius nomen Nubes: Et Dion Pruseus orationem scripsit cōtra philosophos omnium eloquentissimam. Scripsit etiā orationem Aristides contra Platonem, pro quatuor Athenienſium proceribus multo eloquentissimam, sed & Hortensius Romanus vir nobilissima familia & eloquentissimus validissimis rationibus philosophiam insectatus est, sed de ijs hactenus.

De morali philosophia, Cap. LIIII.

Reliquum vero si qua de moribus (vt aliquibus placet) philosophia siue disciplina est, hanc arbitror ego non tam philosophorum ratiunculis quam vario vsu, consuetudine, obseruatione, ac communis vitæ conuersationē constare, ac pro temporum, locorum, hominūque opinione mutabilem esse, quā minæ ac blādi

mienta pueros, leges atq; vindicta maiores docẽt nonnulla hominibus natiua addit industria, quæ doceri nequeunt, sed pro temporum vsu hominũ que conspiratione per fas vel nefas inoleſcunt, q̃ fit vt quod aliquãdo vitium fuit, modo virtus habeatur, & quod hic virtus est, alibi vitium sit, q̃d vni honestum, alteri turpe, quod nobis iustum, alijs iniustum sit, pro cuiusq; temporis, loci, status, hominum, opinionibus vel legibus. Apud Athenienses licuit viro sororem germanam habere in matrimonio, at id qdẽ apud Romanos nephas habebatur: quondam apud Iudæos, & hodie apd Turcas, licet viro plures habere vxores, insuper & pellices concubinas, hoc apud nos Christianos non tam nephas est, quam damnabile scelus. Laudi in Græcia ducitur aduleſcentulos quam plurimos habere amatores, denique tam fœminas quam viros in scenam prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini, q̃ tñ apud Latinos Romanosq;, humilia, infamia, & ab honestate remota censebantur: Neq; tñ pudebat Romanos, vxores ducere in cõuiuia, illasq; in celebritate ȳsari, ac primas tenere partes ædium: in Græcia ȳo neq; in conuiuiũ adhibetur vxor, nisi propinquoꝝ: neq; versat̃ nisi in interiore parte ædium, quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione coniunctus: furari apud Aegyptios & Lacedæmonios honorificum erat, apud nos fures furca suspensi strangulantur: Inquit Iulius Firmicus in astrologicis suis ad Lollianum scribens: Quædam gentes ita a cœlo formatæ sunt, vt propria sint morum vnitate perspicuæ: Scythę immanis feritatis crudelitate grassantur, Itali fuerunt regali semper nobilitate præfulgidi, Galli sto

lidi, acuti Siculi, luxuriosi semper Asiatici, & voluptatibus occupati, Hispani elata iactantię animositate præpositi: habent singulæ nationes a superis agnata sibi morum discrimina, per quæ facile a seinuicem discernantur, vt cuius quisq; nationis sit oriundus, a voce, a sermone, ab oratione a consilio, a conuersatione, a victu, a negocio ab amore & odio, ab ira ac militia, similibusq; exercitijs facile cognoscatur: quis enim videns hominem ingrediuntem incessu gallinacio, gestu gladiatorio, vultu effreno, voce bubala, sermone austero, moribus ferocem, habitu dissoluto laciniatoue, non mox iudicet esse Germanum? nonne Gallos cognoscimus ab incessu moderato, gestu molli, vultu blando, voce dulcisona, sermone facili, moribus modestis, habitu laxo? Hispanos autem ab ingressu, & moribus gestibusq; festiuis, vultu elato, voce flebili, sermone eleganti, habitu exquisito: Italos vero videmus incessu tardiusculos, gestu graues, vultu inconstantes, voce remissos, sermone captiosos, moribus magnificos, habitu cõpositos: Iamq; scimus etiam quia in cantu balãt Itali, gemunt Hispani, vlulant Germani, modulãtur Galli: sunt in oratione graues, sed versuti Itali, culti sed iactabundi Hispani, prompti, sed superbi Galli, duri, sed simplices Germani: inconsilijs est prouidus Italus, astutus Hispanus, in consideratus Gallus, vtilis Germanus: in victu est mundus Italus, delicatus Hispanus, copiosus Gallus, incondi tus Germanus: sunt erga exteros officiosi Itali, placidi Hispani, mites Galli, agrestes inhospitalesque Germani: in conuersationibus sunt prudentes Itali, cauti Hispani, mansueti Galli, imperiosi intolerabilesque Germani, sunt in amoris zeloty

pi Itali, impatientes Hispani, leues Galli, ambiti osi Germani: In odijs vero sunt occulti Itali, pertinaces Hispani, minaces Galli, vltores Germani: in gerendis negocijs sunt circunspecti Itali, laboriosi Germani, vigiles Hispani, soliciti Galli: In militia sunt strenui sed crudeles Itali, Hispani callidi & rapaces, Germani truces & venales, Galli magnanimi sed præcipites: insignes sunt literatura Itali, nauigatione Hispani, ciuilitate Galli, religione & mechanicis artificijs Germani: & habet vnaquæque natio quantumcunque etiam siue ciuilis siue barbara, peculiares mores rituſque sibi a cœli influxu a cæteris diuersos, qui sub nullam artem philosophiam q cadere nequeant: sed sola naturali virtute absque omni disciplina hominibus adgenerantur: Sed conuertamus sermonem nostrum ad eos, qui nobis harum rerum disciplinam scriptis tradidere: Hi certi functi serpentis officio, eum nobis fructum dedere, cuius pastu discamus scire bonum et malum, hæc enim prima eorum pestilens opinio est, bonum & malum non esse ignoranda: ita demum aiunt melius virtutē homines sequuturos, & vitia fugituros: At quanto certius & vtilius, quanto etiam felicius foret, mala non modo non facere, sed & penitus ignorare. Quis neseit eo ipso nos omnes miseros factos, cum primi humani generis parentes, quid bonū esset, quid q malum didicerunt: ac idcirco forte condonatus esset philosophis hic error, si non etiā sub virtutum ac bonorum nomine, nos pessima mala, turpissima q vitia docerent. Sectæ autē illorum q ethica tractauerunt, haud paucæ sunt, vt Academica, Cyrenaica, Eliaca, Megarica, Cynica, Eroitica, Stoica, Peripatetica, & pleræque

aliæ: De his inter cæteros, ita philosophatus est Theodorus ille, quem nuncupatum esse deum memorant scriptores, videlicet furto & adulterio, sacrilegio quoque cum tempestiuum erit dabit operam sapiens, nihil quippe horum turpe natura est Sed si auferatur ex hisce vulgaris opinio, quæ stultorum imperitorumq; plebecula conflata est, sapientem publice absque vllo deprehensionis rubore scortis congressurum: talia sunt diuini huius philosophi placita, quibus nescio an quid tradi posset turpius: nisi quam legimus ab Aristotele probatam, & in Creta lata quoque lege permissam masculam venerem, quam & Hieronymus Peripateticus ea ratione celebrat, inquiens: quia eiuscausa multæ tyrannides sublatæ fuerunt. Aristotelis autem verba in politicis vbi censet vtilem esse rei publicæ, ne sit plebeis hominibus numerosa soboles, hæc sunt: ad cibi temperantiam velut i peruti lem, multa legislator sapienter ac studiose constituit, & de mulierum diuortijs, siquidem ne superfluam parerent multitudinem cum masculis induxit concubitum. Hic est ille ARISTOTELES, cuius mores a Platone re probati, vnde exortum illius in magistrum odium & ingratitudo, qui sceleroſæ vitæ iudicium veritus, Athenis clam raptimque profugit, qui in benefactores ingratissimus, etiam Alexandrum illum magnum a quo ample magnificeque ornatus extitit, quique illi vitam, corpus, animamque credebat, ac patriam restituit, Stygiæ aquæ veneno peremit: qui etiam de anima male sentiens, locum gaudij post mortem negauit, qui veterum dicta compilatus, malignecq; interpretatus, ingenij laudem furto ac calumnia quæsiuit, q iam inueteratus dierū

malorum ex scientiæ immoderata cupiditate in rabiem versus, sibiipsi intulit necem, ipsis dæmonibus dignum factus sacrificium, qui docuerunt illum scire: dignissimus profecto hodie Latinorum gymnasiorum doctor, & quem Colonienses mei theologi etiam diuis adnumerarent, librumq; sub prælo euulgatum æderent, cui titulum facerent de salute Aristotelis: sed & alium versu & metro de vita & morte Aristotelis, quem theologica insuper glossa illustrarunt, in cuius calce concludunt Aristotelem sic fuisse Christi præcursorem in naturalibus, quemadmodum Iohannes Baptista in gratuitis: Sed ne longius digrediamur a proposito, quid de felicitate ac summo bono sentiant philosophi audiamus: hanc namq; alij in voluptate posuerunt, vt Epicurus, Aristippus, Gnidius, Eudoxus, Philoxenes & Cyrenaici: alij cum voluptate honestatem copularunt, vt Dinomachus & Calipho: alij id in primigenijs naturæ collocarũt, vt Carneades & Hieronymus Rhodius, alij in indolentia, vt Diodorus, alij in virtutibus, vt Pythagoras, Socrates, Ariston, Empedocles, Democritus, Zeno, Citicus, Cleantes, Hecaton, Possidonius, Dionysius Babylonicus, & Antistenes, & Stoici omnes, multique ex nostris theologis illis quodammodo adsentientes, adhuc disputant de connexione virtutum, & quod sit illud commune felicitatis fundamentum, in quod omnes virtutes conuenire debent, nisi enim omnes in vnum confluxerint, nequaquam facient hominem felicem, etiam si vna sola defuerit: cum itaque dispares & quodammodo pugnantes virtutes sunt, liberalitas & parsimonia, magnanimitas & humilitas, misericordia &

iustitia, contemplatio & solicitum opus in frequẽti ministerio, & huiusmodi multæ, nisi oẽs in vno conueniant concordes, iam nõ virtutes, sed vitia censeri possent: illud autem in quod conuenire omnes debent, Ambrosius & Lactantius cum Macrobio Platonem in sua republica secuti iustitiã putant: alij temperantiam modum omnibus imponentem: alij pietatem, vt Plato in Epinomide: alij charitatem, sine qua nullus est profectus in ỳtutibus, vt sentit Paulus: & adhuc super istis argumentatur Thomas, Henricus. & Scotus, & alij: sed modo reuertamur: felicitatem adhuc posuerũt alij in fortuna, vt Theophrastus: sed Aristoteles in fortuna, cum primigenijs virtutibusq; cõiuncta, quinimo in voluptate, sed virtutum bonis fucata, quasi non eisdem etiam Epicurus suam voluptatem tueatur: cæteri denique peripatetici in speculatione, Herillus philosophus, Alcidanus, & Socratici multi, summũ bonũ putabãt scientiã, verũ Tiberini populi Chalybibus vicini, quorum meminerunt Apollonius & Pomponius, luxum risumque summam esse felicitatem dixerunt. Sunt & qui summum bonum in silentio posuerunt: Platonici vero cum suo Platone & Plotino diuina spiredolentes, in vnione cum summo bono felicitatẽ locauerunt. Bias Prienæus in sapientia, Bion & Borysthenes in prudentia, Thales Milesius in harum congerie, Pitacus Mityleneus in bene agere, Cicero in omnium rerum vacatione: sed & nisi in solo deo inueniri non pt. Transeo reliquos plebeos philosophos, qui omnem felicitatem sustulerunt, vt Pyrrho Elienſis, Euricolus, & Xenophanes: & qui summam felicitatem, in gloria, honore, potẽtia, ocio, diuitijs, & similibus locarunt, vt Perian

der Corinthius, & Lycophron, atque illi de quibus Psalmista: Quorum os locutum est vanitatē, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filiꝫ sicut nouellæ plantationes, in iuuentute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: Oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis, boues eorum crassę. Non est ruina maceriæ neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Iam & de voluptate itidē diuersum sentiunt, quā (vt superius audistis) Epicurus summum bonum arbitratur: contra Architas Tarentinus, Antistenes, Socrates hanc summum malum dicunt: Speusippus autem & aliqui veteres Academici dixerunt voluptatem & dolorem esse duo mala inter se opposita, bonum autem hoc, quod inter illa medium esset. Zeno censuit voluptatem neque bonum neque malum, sed esse indifferens: Critolaus peripateticus et Plato voluptatem dicūt malam, multorumque malorum escam atque parētem. Longum nimis esset omnium adferre de felicitate opiniones, & congeriem facere ex his qbus aliꝫ quam plurimos libros compleuere: nam octo supra ducētas & octoginta de istis a Marco Varrone collectas opiniones meminit Augustinus, quarum famosiores hic recitasse satis putamus. Sed videamus nunc, quomodo hæc cum Christo conueniant, apparebitque felicitatem beatitudinemque nobis non acquiri per virtutem Stoicam nec per purgationem Academicam, nec per speculationem peripateticam, sed per fidem & gratiam in verbo dei. Audistis enim quomodo felicitatem seu beatitudinem philosophoꝝ, aliꝫ ponūt

in voluptate, sed Christus in fame & siti: alij in honestate & fama & āplitudine nominis, sed Christus in maledictione & odio hominum: alij in primigenijs, sanitate, lætitia, & indolentia, sed Christus in fletu & luctu: alij in prudentia & scientia ac virtutibus moralibus: sed Christus in innocentia & simplicitate, & mundicia cordis: alij in fortuna, sed Christus in misericordia: alij ī gloria belli et subactione terrarum, sed Christus in pace: alij in honore et pompa, sed Christus in humilitate, beatos vocans mites: alij in potentia & victoria, sed Christus in p̄secutione: alij in diuitijs: sed Christus in paupertate: Docet Christus absolutam virtutem non nisi gratia desuper data acquiri, philosophi hanc propr̄ijs viribus & adsuetudine parari, docet Christus omnem concupiscētiam esse peccatum, contra philosophi inter medias res numerant, quæ nec virtutis nec vitij cēseantur, euadere autem virtutes si quis eis mediocriter afficiatur: Docet Christus de omnibus benemerendum esse, etiam inimicos diligendos, libere mutuum dandū de nullo vindictam sumendam, omni petenti tribuendum: contra philosophi non nisi his qui beneficium compensant beneficio: cæterum liceat irasci, odisse, contendere, belligerare, fœnerari. Porro ij nobis cum suo libero arbitrio ac rect̄e rationis dictamine atque naturali lumine Pelagianos hæreticos dedere: Tota aūt moralis philosophia (teste Lactantio) falsa est & inanis, nec instruens ad iustitiæ munera, nec officium hominis rationisque confirmans, tota denicq; sic diuinę legi ipsiq; Christo repugnat, vt eius gloria nulli alij debeatur q̄ satanæ.

De politica. Caput LV.

AD hanc philosophiam pertinet etiam politica, quæ est ars administrandæ reipublicæ: eius vero tres sunt species, videlicet monarchia, quæ est vnius regimen: aristocratia, quæ est paucorum, sed nobilium, diuitum, seu optimatum: democratia, q̃ est plebis siue popularis: His affines sunt tyrannides oligarchia, & anarchia, verum quæ istarum perferenda sit inter scribentes nondum cõuenit. Nam qui monarchiam antecellere disputant, naturæ exemplis opinionem suam muniunt, dicẽtes, ꝙ sicut in vniuerso vnus est summus deus, in stellis vnus sol, rex vnus ĩ apibus, dux vnus in gregibus, in armentis rector vnus, & grues vnum sequuntur: sic in republica oportere vnũ esse regem tanquam caput, a quo nequaq̃ membra dissentiant: hanc præ cæteris probarunt, Plato, Aristoteles, Appollonius: quibus subscribũt ex nostris Cyprianus & Hieronymus. Qui vero aristocratiam extollunt, aiunt nihil melius rebus magnis administrandis quã plurium optimorumq; in vnum consentientium consultationes: nam ex pluribus optimis necesse est optima constare consilia, neminem autem solum satis sapere, solius dei hoc munus esse: huic quoque opinioni subscribũt Solon, Lycurgus, Demosthenes, Tullius, & ferme omnes illi veteres legislatores, etiam Moses: quibus consentit etiam Plato, eam rempublicam & ciuitatem inquiens, in optimo felicissimoque statu videri constitutam, quæ a sapientibus regeret: cui placet, si adiũciamus etiam a nobilibus, siquidem hæc opinio est multorum consensu firmata. Qui autem popularem rempublicam prætulerũt hanc omnium pulcherrimo nomine appellarunt isonomiam, hoc est, iuris ęquabilitatem; nã omnia

illic in commune referuntur, & consilia omnia à multitudine cui haud dubie omnia insunt, capiuntur certiora: Denique vox populi, vox dei: hinc quicquid omnibus placet, quicquid cõmunis populi consensu statuitur, hoc tanquam a deo ipso ordinatum, optimum atque iustissimum esse præsumatur necesse est: hoc denique regimen tutius esse aiunt q̃ optimatum, ex eo quod minime subiace at seditioni: populus enim nunquam vel rarò inter se dissidet, optimates autem maxime et sępissime, præterea in populari regimine omnis inest æqualitas atq; libertas, nullorum tyrannide oppressa, vbi pares honorum gradus, nec quisq̃ vicino præstat, sed vnusquisq; & omnis multitudo per vices imperat & imperatur, hanc igitur præ cæteris laudarunt Othanes Persa, Eufrates, & Dion Siracusanus, & nos videmus hodie hac democratia Venetos & Heluetios præ omnibus Christiani orbis principatibus maxime florere, prudentiæq; & potentiæ diuitiarum, & iustitiæ laudem, atque victoriæ palmam obtinere: quin & Atheniẽsium respublica olim latissime potentissimeq; imperans, sola democratia regebatur, omniaque agebantur a populo & apud populum: Atque Romani olim omnes has administrationes perpessi, maximam imperij partem sub populari democratia adepti sunt, nec vnq̃ peius habuere q̃ sub regibus & optimatibus, pessimeque sub imperatoribus, sub quibus omnis eorum potentia, naufragiũ fecit. Itaq; quæ istarum trium melior potiorq; non facile dijudicari potest, cum quæq; suos assertores habeat et impugnatores. Reges enim quibus pro libidine omnia licet impune facere, rarissime bene imperant, nec vnq̃ sine bellorum strepitu regnant. Ha-

bet quoq; hoc in se regalitas pestiferum mālum, vt etiam ñ qui olim fuerint viri optimi omnium consensu probati, mox regiam adepti tanquā peccandi licentiam insolentes pessimique euaderent: qđ in Caligula, Nerone, Domitiano, Mithridate, & plerisq; alijs visum est: quin etiam in Saulo, Dauide, Solomone electis a deo regibus sacrę literæ produnt: atq; ex omnibus regibus Iuda vix pauci sunt probati, ex Samarię regibus nullus, sed & qui hodie reges & imperatores et principes habentur, non pro populo, pro ciuibus, pro plebe, pro iustitia, sed pro nobilitate tuenda confirmandaq; nati constitutique sibi videntur: atque sic regunt, vt non eorum custodiæ traditæ, sed rapinæ & depopulationi datæ ciuiū omniū fortunæ videantur, oīa ab oībus auferentes: ac subiectis vtunt pro arbitrio, interdū etiā pro placito, & cōcessa eis desuper potestate in subditos abutūtur: ciues mutationibus, plebē indictionibus, alios exactionibus, cæteros vectigalibus, alijs sup alijs sine modo, sine fine, onerantesq;: q si qui modestiores hęc remittant, tū non in cōmune bonū, sed in sua cōmoda illud faciunt, pmittētes subditis bñ esse quo ipsis bene sit habeantq; cū velint qđ rapiāt: quin & quo iustitiæ laudē sibi aucupētur, leges arcte sanciunt, sed auaritiā & crudelitatē iusticia vestiunt, puaricationis reos terribilibus supplicijs bonorū proscriptionibus et mulctis enormibus afficiūt, in hoc tyrannis non meliores quo cupiunt q plurimos esse pręuaricatores: nā vt scelera delinquentium vires sunt tyrannorū, sic multitudo transgressorū diuitiæ sunt principū. Erat mihi olim in Italia cū potente principe consuetudo admodū familiaris, quem cū hortarer aliqū, vt Gibellinorū ac Guelforū fa-

ctiones in dominatu suo cõpesceret, fassus est mihi illius factionis occasiõe ad duodecim millia ducatorum in mulctis fisco suo quotannis inferri: verũ de hoc latius in libro de nobilitate politica disseremus: vbi aũt reipublicæ regnũ optimates tenent, in eadẽ cum ipsis republica degunt ira, odium, æmulatio: quapropter rarissime inter se cõcordes regnant, & dũ vnusquisq; suã sententiã pferri, ac primus esse vult, odia inter se priuatã excitant, vnde sæpe factiones, seditionesq; & cædes, & ciuilia bella, in reipublicæ pniciem exoriuntur. Cuius mali infinita exẽpla, & Græcor; & Latinor; historiæ cõmemorant, & hodie adhuc plures Italiæ ciuitates, misera illor; spectacula pbent. Administrationẽ vero populare perinde ac pessimam censent ferme oẽs, hanc multis rationibus Vespasiano dissuadet Apollonius, & Cicero ait nõ esse rationem in vulgo, non consilium, nõ discrimen, nõ diligentiam, vt Poeta canit:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus:

& Othanes Persa ait: populari multitudine nihil esse insolentius, nihil insipientius, propriumque plebi nihil intelligere, sed ad res obeundas sine consilio præcipites ruere, torrenti flumini similes. Demosthenes quoque populum malam bestiam vocat, & Plato hunc beluam multorum capitum nominat, cuius meminit Horatius, & Phalaris ad Egesippum scribens: Populus omnis, inquit, temerarius est, demens, desidiosus, prõptissimus in q̃dcunq; contigerit mutare sententiam, perfidus, incertus, velox, proditor, fraudulentus, voce tantum vtilis, & ad iram & laudem facilis: hinc est vt q; in agẽda republica populo placere annitit, horrestis pereat cõtumelijs. Sed & Lycurgus legislator

Cadmus volgus

Lacedemonius interrogatus aliquando, cur in re publica sua statum popularem non constituisset? respondit interroganti, tu prius in domo tua effici to principatum popularem. Aristoteles quoque in ethicis censet administrationem populi esse pessimam, vnius vero optimam. Est enim plebs error⁹ princeps & prauarum consuetudinum magistra, ingens⁹ malorum cumulus: nec enim rationibus, nec autoritatibus, nec suasionibus flecti potest, cū illas non intelligat, has aspernetur, ad persuasiōes vero indocilis est & obstinata, cuius mores inconstantissimi, semper noua cupiens, & odiens præsentia, nec sapientum doctrina, nec patrum disciplina, nec magistratuū autoritate, nec maiestate prīcipum contineri potest, quam penes nunquam sine periculo, aut frustra sapientum consilia audita sunt: semper fere multitudinis stultitia prȩualente: sicut notum est in Socrate de eorum opinione ad Athenienses: in Capo troiano, de equi introductione: in Magio Campano, ne Annibal in vrbem reciperetur consulenti, in Paulo Aemilio pugnā, Cānensem detrectanti: denique in tot prophetarum domini prædictionibus a populo Iudaico minime exauditis. Proinde populi statuta, ac plebis placita quomodo poterint esse bona, cum populatis illa multitudo fere semper quæ optima sunt ignorat, cum maior illius pars manuarīj sint opifices, tum quia non in iustitia & æquitatis ratione, sed in numero consistant, in quo semper plures sunt mali q̄ boni, nec exacto rerum ducitur iudicio, sed studio multitudinis & numero, sicut ait Plinius ille iunior: Numerantur enim sententiæ non ponderātur, non enim quod prudentioribus, sed quod pluribus visum est in populari consultatione maiores

Numeratæ non ponderatæ vota malo

obtinet vires, inter quos cum omnes sibi habeantur æquales, nihil est tam inæquale quam æqualitas ipsa, promiscuo itaq; plebis impetu nihil salubriter instituitur, nihil eorum quę in peius collapsa sunt, in melius restituuntur, quin quæ optima institura sunt plebis licentia potius conturbantur tollunturque. Inter has autem tam diuersas reipublicæ administrationes plærique mixtam ex duabus speciebus politiam delegerunt, vt qualem Solon ex optimatibus & populo instituit, omnibusq; eo modo suos honores communicauit, plarique etiã mixtam ex omnibus, cuiusmodi erat Lacedæmoniorum: rex enim apud eos erat perpetuus, sed qui tantum bellorum tempore dominaretur. eratque optimatum senatus e potentioribus & ditioribus: ephoros quoq; ex plebe creabant decem perpetuos, qui vitæ necisque haberent potestatem, statum plebis repræsentãtes. Apud Romanos olim democratiæ propter senatus autoritatem mixta erat aristocratia, multa eñ apud populũ nõnulla apud senatum imperabantur. Hodie multis locis reges & principes pro arbitrio imperant, tamẽ optimates prouinciarum ac magistratus consilijs rebusq; gerendis adhibent: atq; hinc oritur quæstio q̃ respublica tutior sit, an, in qua princeps malus & cõsilarij boni, siue, vbi princeps bonus probusq;, sed consiliarij praui. Marius Maximus & Iulius capitolinus ac multi alij priorem eligũt, quibus tamẽ alij multi graues autores non adsentiunt, cum experientia ipsa videamus sæpius a bono principe malos corrigi, q̃ malum principẽ a bonis emendari. Tandẽ vero vt respublica optime administretur, nulla philosophia, nulla ars, nulla scientia pstant: sed probitas rectorum. Optime enim vnus, opti-

me pauci, optime populus imperant, li probi sine pessime autem si sint improbi. Sed quod omnē uin cit improbitatis temeritatem, cum agrum colere, gregem pascere, nauim regere, familiam guber nare, filios educare, multi se aut ignorare aut ne scire aut non posse fateantur: tamen magistratum in vrbibus agere, gregem & principem se gerere, & quod difficillimū est, populis & nationibus im perare, nemo sibi a natura negatum putat. Cæte rum quod spectat hic ad ciuilium legum scientiā, quibus omnes reipublicæ & ciuitates constant, re guntur, augētur, atq; seruantur, dicemus inferius.

· Cap 91 ·

De religione in genere. Cap. LVI.

AD reipublicæ integritatem pertinet etiam religio, quæ est disciplina quædam exterio rum sacrorū ac ceremoniarum, per quā re rum internarū & spiritualium tanq̄ per signa quę dam admonemur, quam Cicero definit disciplī nam, per quam reuerenti famulatu ceremoniæ di uini cultus exercentur, quām quidem ciuitatibus maxime vtilem & necessariam esse testatus est cū Cicero, tum etiam Aristoteles. Sic enim ait in Po liticis: Oportet principem præ alijs deicolum uide ri, minus enim putant subditi a talibus pati aliqd iniquum, & minus machinantur contra talē tanq̄ habeat propugnatores etiam deos. Religio autē a natura sic hoibus insita est, vt plus illa q̄ ratio nalitate a cæteris animātibus discernamur: Quod autem nobis naturaliter insita sit religio, ipse fate tur Aristoteles, tum ex eo liquet, q̄ quoties in subi taneis periclis & timoribus aliqua perturbatione obruimur, confestim antequam aliquid perscrute mur, & ante omnem electionem ad diuinam inuo

cationem confugimus, natura videlicet nos absq; alio præceptore diuinum auxilium implorare edocente. Iamq; ab initio creationis mundi Cain & Abel ipsi deo religiose sacrificarūt: sed Enoch primus fuit, q̄ quo ritu deus inuocandus esset, instituit: Quare de eo dicit scriptura: Tunc tandem cœpit inuocari nomen domini: post diluuium a multis multæ q̄ multis gentibus religionum leges datæ sunt: Nā Mercurius & Menna rex Aegyptijs: Melissus Iouis nutritor Cretēsibus, Faunus & ante illum Ianus Latinis: Numa Pompilius Romanis, Moses & Aaron Hebræis, Orpheus Græcis, tum Cadmus Agenoris filius ex Phœnice mysteria, & solennitates deorum, simulacrorū; consecrationes, & hymnos, cæteraq; sacra, pompas, & celebritates, quibus dīs honores impēderent, Græcis primum tradidisse legitur. Quin etiam furtorū & sceleru numina esse tradiderunt, nec tantum nomina deorum dederunt, sed etiam instaurarunt sacra: coluerunt Romani Iouem adulterum & stupratorem, & Febri publicum phanum in palatio dedicarunt, & aram malæ Fortunæ in Exquilijs, quin etiam apud inferos inuenerunt quos colerent deos, ipsumq; infernorum principem omnium infimum & miserrimum satanam sub Ditis, Plutonis, & Neptuni nominibus venerantes, assignantes illi custodem tricipitem Cerberum, hoc est, cat niuorum, qui semper circuit quærens quem deuoret, nulli parcēs, omnibus nocēs, omnes accusans, hinc diabolus quasi criminator appellatus, vnde Poeta canit.

Dux Herebi populo poscebat crimina vitæ,
Nil hominum miserans, iratus omnibus vmbris,
Stant furiæ circum variæq; exordia mortis,

Sæuaq; multisonas exercet pœna catenas.

Coluerunt quondam Aegyptij cum dijs suis etiã animalia bruta & monstra, & sunt adhuc hodie qui idola & simulacra colunt: Quin Turcæ, Saraceni, Arabes, Mauri, & magna pars orbis hodie Mahumetum colunt absurdissimæ religionis conditorem, & Iudæi in sua perfidia adhuc perseuerãtes venturum eorum Messiam pertinaciter expectant. Et nobis Christianis diuersi diuersis temporibus & regionibus põtifices nostri, religionum motes præscripserunt, mirum quot legibus inter se dissidentes circa ritus, circa ceremonias, circa cultũ, circa cibos, circa ieiunia, circa vestitũ, circa quæstus, circa pompas, circa mitras, & circa purpurã & eiusmodi: sed unum admirabilium uincit admirationem, q; illi his ambitiosis moribus se cœlum posse ascendere putant, quibus Lucifer olim cœlo decidit, ac tãdem omnes istæ religionũ leges, nullo alio fundamento incumbunt, q̃ suorum instituetium placitis, nec aliam insuper certitudinis regulam habent, nisi ipsam crudelitatem: Considerate ab initio mundi quot sunt, quot fuerunt, in religione studia, quot ceremoniæ, quot cultus, quot ritus, quot hæreses, quot placita, quot vota, quot leges, & nondum a tot seculis homines ad rectam fidem perducere potest religio absq; verbo dei, q̃ incarnato, & in cruce de hostibus triumphante, deiecta sunt templa & idola, & deorum potestates ablatæ, defeceruntq; oracula:

Ablata est Pythij vox haud reuocabilis vlli,
Temporibus longis etenim iam cessat Apollo,
Claubus occlusis silet ergo rite peractis,
Discedas patria & redeas ad limina sacris.

Ex quo enim verbum dei per euangelij nuncium

illuceſcere cœpit mundo, omnes dij gentium velu ti fulgure tacti corruerunt, ſicut apud Lucam ait Chriſtus, vidi ſatanam ſicut fulgur de cœlo caden tem. Verum quod hic ad fidem, & ad theologiã, & ad canonum decreta pertinet, diſcutiemus infe rius, nos hic de religione loquimur, quantũ ad eas artes q̃ ad ſacerdotũ quæſtũ, & ad rempublicã ſuis ſimulacris, ſtatuis, imaginibus, tẽplis, phanis, ſacellis, faſtis, pompis, & ſacerdotiorum magiſtra tibus ordinãdam attinet, de quibus alibi inter pla cita theologica, anno milleſimo quingẽteſimo de cimo, per me Colonię declamata amplo ſermone diſputaui, quo circa ea iſtic breuiſſimo ſermone tranſigemus, oſtendentes etiam in illis quæ coho neſtandæ religionis cauſa, & ad hominum ſalutẽ inuenta ſunt, ſæpe non minimam inueniri cũ va nitate malitiam, quod ita eſſe nunc per ſingula diſ curretes monſtrabimus.

De imaginibus. Caput LVII.

IMaginum itaque cultum, iam ab antiquo non omnes populi admiſerunt, ſiquidem Iudæi (vt narrat Ioſephus) nihil magis exhorruerunt q̃ ſimulacra, nec aliquam effinxerunt imaginem eius quod coluerunt, neque eorum quorum memo riam tenuerunt. Lex ſiquidem dei per Moſen pro hibuit illis ſimulacra fieri, aut in tẽplis poni, aut adorare coram eis: apud Seres populos (teſte Eu ſebio) etiam lege cautum erat, ne ſimulacra vene rarentur. In Romanorum quoque templis, apud Clementem & Plutarchum, ex decreto Numę, an nis centum & ſeptuaginta ab vrbe condita, nul lam imaginem neque fictam, neque pictam eſſe conſpectam legimus. Auguſtinus quoque idem te ſtatur, autore Varrone, cuius, inqt, verba clariſſi-

me teſtantur, nullū fuiſſe in vrbe ſimulacrū deorū per ānos centū ſexaginta, factūq; deinceps, vt ex imaginum ac ſtatuarū multitudine, religionis cultus negligeretur atq; contēptui haberet. Perſæ etiam (teſtibus Herodoro & Strabone) ſtatuas non extruebāt. Aegyptiorum aūt in iſtis ſumma erat impietas & ſtultitia, exinde in oēs gentes deriuata, qui quidē corruptus gentiliū mos & falſa religio cū ipſi ad Chriſti fidē cōuerti cœperunt, nr̄am quoq; religionē infecit, & in noſtrā eccleſiā ſimulacra & imagines, multaſq; pompas ſteriles ceremonias introduxit, q̄rum nihil omnino fuit apud primos illos & veros Chriſtianos. Hinc cœpimus diuorū noſtrorū muta ſimulacra in tēpla noſtra traducere, & in aras dei magnis venerationibus collocare, & q̄ hominē verā dei imaginē nephas ducimus conſcendere, eo inſenſata trāsferimus ſimulacra, illis inclinamus capita, infigimus oſcula, offerimus lumina, ſuſpendimus anathemata, adcommodamus miracula, coemimus condonationes, denicq; illis peregrinamur, illis vouemus, illa colimus, ac tantū nō adoramus, nec dici poteſt q̄ta ſuperſtitio, ne dicā idololatria penes rudē & indoctam plebē alatur in imaginibus, conniuentibus ad iſta ſacerdotibus, hinc non paruū lucri quæſtū percipientibus, atq; hic tuentur ſe Gregorij verbis dicentis: Imagines eſſe libros vulgi, vt poſſit rerū memoria retineri, atque in his legant, qui literas non didicerunt, illiſq; conſpectis ad dei contemplationem trahantur. Verū hæc ſunt excuſantis Gregorij humana commēta, licet ſanctus ille vir imagines probet, non cultum. Alia autem ſunt vetantis dei præcepta, non enim decet nos exuetito imaginum libro diſcere, ſed ex libro dei q̄ eſt liber ſcri

pturatum. Qui ergo cupit deum nosse non requi-
rat ab imaginibus pictorum & statuariorꝝ, sed (ut
inquit Ioannes) scrutetur scripturas quæ testimo-
nium perhibent de illo. Qui autem nesciunt legere
nõ audiant verbum scripturę, fides enim eorum (ut
ait Paulus) ex auditu est, & Christus apud Ioan-
nem ait: Oues meæ vocem meam audiunt. Iamq;
etiã si (quod ait Christus) nemo potest venire ad
eum nisi pater traxerit illum, et nemo venit ad pa
trem nisi per ipsum Christum, cur auferimus glori
am deo tribuentes illam picturis & statuis, ac si
possent trahere in contemplationem dei? Accedit
istuc etiam reliquiarum cultus immoderatus: fate
mur enim, nec quisquam negare poterit sanctas
esse sanctorum reliquias, & quæ æternitatis glo-
ria fulgebunt aliquando, ideoq; nobis summa re-
uerentia colendos, fateamur etiam sanctos ipsos
licet in omnibus locis exaudiant pie inuocantes,
magis tamen vbi aliquid reliquiarum suarum ue
lut pignus habent, sed quia non omnium certitu-
do eadem est, cum varijs in locis putantur sancto
rũ eorundem eadẽ retineri pignora, necesse est hoꝝ
aut illorum stultam confidẽtiam esse oportere, ne
igitur in idololatriam uel superstitionẽ incidamus,
tutius est fidẽ rebus visibilibus nõ affigere, sed co
lere sanctos in spiritu & veritate per dñm nostrum
Iesum Christũ, illoꝝ opem implorantes. Certiores
itaq; reliquias & digniores nõ habemus sacramẽ
to corporis Christi, quod vnicum sanctum sancto
rum in omnibus templis nostris seruatur, qui corã
Christum veneramur & adoramus præsentem,
qui licet vbique presens sit ibi tamen etiam corpo
raliter præsens est: sed auarum sacerdotale genus,
auari homines non modo ex lignis & lapidibus,

sed etiam ex mortuorũ ossibus, & sanctorũ martyrũ reliquijs materiã auaritiæ suæ captantes, sue rapinæ instrumenta fecerunt, attollunt sepulchra cõfessorum, exponunt reliquias martyrũ vendentes illorum contactus & oscula, exornant illorũ simulacra, & festa illorũ magnis pompis decorant, prædicant illos sanctos & extollunt magnis præconijs, vitam autem illorum quos tantopere laudãt longissime fugiunt: Nonne istis locutus est saluator: Væ vobis qui ædificatis sepulchra prophetarum, similes illis qui occiderunt eos. Proinde gentilium more sanctis ipsis officia distribuunt, & hũc cum Neptuno aquarum periculis subuenire illum cum Ioue fulmen incutere, aut cum Vulcano ignem: alium messes curare cum Cerere, alium pẽsse vitibus cum Baccho: & habent mulierculę suas diuas a quibus ceu a Lucina aut Venere liberos petant, & quæ cum Iunone iratos placant vel vindicant maritos. Iam vero etiam sunt qui furta & amissa seu perdita recuperare faciunt, atque nullum morbi genus est, quod inter diuos non habeat suum medicum: quæ causa est quo minus lucrantur medici quam causidici, cum nulla sit lis tam pusilla, tam iusta, quæ diuum aliquem inueniat patronum: verum sicut anima nostra per diuersa membra diuersos explicat actus, & illa propter diuersitate dispositionum suarum diuersas susciput potentias, vt oculi visum, aures auditum: ita dñs noster Iesus Christus in corpore suo mystico, cuius ipse anima est, per diuersos sanctos suos, velut accommodata ad hoc mẽbra, diuersa suæ gratię munera, i istis inferioribus administrat atq; distribuit, & singuli sancti peculiare cooperãdi munus sortiuntur, & singuli certas gratias impartiuntur,

iuxta quam multiformem gratiarum distributionem, partim hominibus reuelatam, partim pijs coniecturis adsecutam, varijs precibus et inuocationibus sanctos imploramus: putamus equidem quemadmodum Christus morte sua mortem nostram redemit, in cuius morte cœperunt sanctæ mortes, omniumq; fidelium mortes sanctificantur, sic martyres eos qui certo quodam morborum genere, aut huic simili tormento cruciati pierint ab illo ipso tanquam id pro nobis passi nos liberare: & habet id quidem rationem non inualidã, sed ridendi sunt qui a nominis similitudine & vocum confusione, & per similia futilia inuenta sanctis illa adscribunt, vt Germani caducum morbum Valentino quia hoc nomen cadere significat, & Galli Eutropio addicant hydropicos ob vocis consimilem sonum. Nihil ergo hic diuinę potentiæ & sanctorum meritis derogatum volo: impius enim est qsquis de pietate Christiana ac sanctorum miraculis perperam sentit, sed & superstitiosus & improbus est qui pro miraculis prodigiosa quæq; mendacia ceu portica nugamenta vertunt in historiam, & simplicibus oraculi loco credenda proponunt, magnisq; clamoribus inculcant: stultissimi quoq; sunt, qui ijs fabulis & somnijs fidem habent. Atq; hic vos scire volo quod quemadmodum imaginum exuperans cultus idololatria est, ita illarum pertinax detestatio hæresis est, de qua olim Philippus & Leo tertius imperatores damnati sunt. Sic etiam quemadmodum reliquiarum abusus execrabile scelus est, ita earundem irreuerentia detestanda hæresis est, quæ quondam a Violãtio Gallo progenita, a Hieronymo profligata, nunc rursus vna cum imaginum ex-

pugnatoribus a proximis annis apud Germanos repullulascere cœpit.

De templis. Cap. LVIII.

CAeterum nunc de templis, scimus hãc maximam olim fuisse gentilium superstitionẽ singulis dijs suis sua templa fabricantium: quorum imitatione cœperunt deinde Christiani suis diuis templa inscribere, multæ tamen gentes templis omnino carebant, & Xerxes quondam suadentibus magis omnia templa per totã Græciam combussisse traditur, quia impium & nefarium esset deos ipsos parietibus includere: verum de templis quondam Zeno Citticus in hæc verba philosophatus est, inquiens: Sacella ac templa cõstruere nihil quidem necesse est, nihil enim sacrum iure existimandum, neq; pro sancto habendum, quod ipsi homines construxerint: apud Persas nulla olim templa erant, Hebreis autem in tota natione non nisi vnicum templum religiosum erat a Salomone Hierosolymis extructum, de quo tamẽ legitur apud Isaiam: Hæc dicit dominus, cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorũ, quæ est ista domus quam ædificas mihi? & Stephanus protomartyr ait: Solomon ædificauit illi domum, sed excelsus in manufactis non habitat: & Paulus apostolus ait Athenienſibus: Deus nõ in manufactis templis habitat, qui cum sit dominus cœli & terræ, manibus hominum non colitur tanquam indigens aliquo. Docet autem humanam naturam ipsosque homines, sed puros, pios, sanctos, & religiosos, deoque deuotos esse acceptissima deo templa: quemadmodum scribens Corinthijs inquit: Templum dei estis, & spiritus dei habitat in vobis: templum autem dei sanctũ

est quod estis vos. Præterea in prima illa nostra religione, ab ipsis Christianæ fidei incunabulis, & diu post Christum passum, non fuisse nostris sacris templa constructa fatetur ipse Origenes contra Celsum, docens multis rationibus Christianis illa ad verum dei cultum veramq; religionem nihil conuenire: & Lactantius ait: non templa deo congestis in altitudinem saxis struenda sunt, sed suo cuiq; conseruandus est pectore, in quod se cōferat cum adorat deum.

Non habitat templis manuum molimine factis
Omnipotens, ædes aurea, verus homo

Et Christus suos adoraturos, non in templum remittit, nec in synagogas, sed in cubiculum orare in abscondito: Atq; ipse quod legitur apud Lucā nūquam ad turbas, ad vrbes, ad templum, ad synagogas accessit orare, sed exiuit in montem orare, & ipse erat pernoctans in oratione: Verum ecclesia quæ nihil agit, nisi acta spiritu dei, cū multiplicato Christiano populo ecclesiam iam ingressi essent cum fidelibus peccatores, cum fitmis infirmi, & tanquam in arcam Noe cum mūdis animalibus simul & immunda, sacras quasdā ædes & templa & basilicas loca sacrata ab omni profano commercio libera instituit, in quibus Christianæ multitudini verbū dei publice prædicaretur, cætera que religionis sacramenta, & commodius & castius administrarentur, quæ a populo Christiano summa semper in veneratione habita, etiam a principibus immunitate munita, nūc in tantam excreuere multitudinem, accedentibus illis tot fratrum oratorijs priuatisque sacellis, vt maxime necessarium foret, multa ex illis tanquam superflua, & indebita membra resecari.

Accedit ad hæc structuræ superba magnificentia in quam multæ admodum sacræ pecuniæ & elee mosynæ indies profunduntur, quibus quod & su perius diximus, multi Christi pauperes vera dei templa imagineſque, fame, siti, æstu, algore, labore, debilitate, egestate periclitantia sustentari deberent.

De festis. Cap. LIX.

FEstorum etiam dies tam apud gētes quam apud Iudæos magna religione semper cele bres fuere, qui omnes distributim per certa anni tempora, per certos & statutos dies de tum colebant, quasi liceret aliquando a diuino cultu discedere, aut forsan deus plus alio quem alio tempore se coli velit, quod idcirco, vt probrō Paulus obiecit Galatis, ad eos sic scribens: Dies obseruatis & menses, & tempora, & annos, timeo ne in vobis frustra & sine causa laborauerim, de qua re etiam Colossenses, admonens præcipit illis, dicens: Nemo vos iudicet in cibo & potu, in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum. Veris enim & perfectis Christianis nulla est dierum differentia, qui sunt semper in festiuitate, semper conquiescentes in deo, & sine intermissione verum sabbatum agentes, sicut vaticinatus erat Isaias ad patres Iudæorum, fore aliquando, vt sabbatum eorum tolleretur, cūque venerit saluator futurū sabbatum perpetuū perpetuasq; neomenias: rudiori autem populo ac infirmæ multitudini, ac imperfectiori ecclesię parti a sanctis patribus eiusmodi dies statuti sunt, quibus conueniant ad sacram verbi dei concionē audiendam & ad cultū diuinū celebrandum, ac cōmunicandorum sacramentorum causa, itatamen

vt non ecclesia diebus seruiat, sed dies inseruiant ecclesiæ: Sunt itaq; constituti dies abs patribus in ecclesia, quibus ab omnibus externis negocijs, atque corporeis actibus plebem abstinere deceat, q̃ liberius seruiat deo, vacet orationibus & contemplationibus, interfit diuinis officijs, & verbi dei concionibus, & quæcunq; eiusmodi sunt, quæ tũc ob æternæ salutis commodum fiunt. Sed ille distortor æquitatis, labefactor omnis ordinis & pulchritudinis, autor omnium malorum diabolus, quic quid spiritus sanctus ædificat assidue demoliri nitens, etiam hanc arcem prope diruit, adeo maxima pars Christiani populi sacrum hoc dierum festorum ocium, non ad orandum, non ad dei verbum audiendum, non ad cætera quorum causa instituta sunt impendit, sed ad omnifariam bonorum morum ac Christianæ doctrinæ corruptelã, in choreis, in comœdijs, in histrionibus, in cantilenis, in ludis, in compotationibus, in pompis, in spectaculis, & quibuscunq; mundanis carnalibus spiritui sanctitatiq; contrarijs operibus consumit: & quemadmodum inquit Tertullianus de Cæsarũ solennibus, solent tunc grande officium agere, socos & choros in publicum ducere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu obolefacere, vino gulam cogere, certatim cursitare ad iurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras: sic exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus: Nõne ergo merito damnandi sumus, qui hoc ritu Christi & sanctorum eius solennitates celebramus? Cæterum a diebus festis præter Manichæorum insanam blasphemiam & Cataphrygum pestifera dogmata, aut nullas, aut paucissimas hæreses cõpertas habemus, veruntamen maximi in eccle-

sia schismatis occasionem præstiterunt, cum Victor Romanus pontifex omnes ferme orientales & australes ecclesias a communione amputasset ea sola de causa q̃ in diei paschatis obseruatione morem a Romana consuetudine sequerentur diuersum: cui tunc inter cæteros excellentissimos viros, restitit Polycrates Asiæ episcopus. Præterea Hireneus Lugdunensis episcopus, quamuis ipse Romano ritu pascha celebrauit, magna tamen libertate Victorem Pontificem obiurgare ausus est, q̃ præter exemplum prædecessorum suorum pacis perturbator abscidisset ecclesias, non in fide errantes, sed in solis ritibus quibusdam, a Romana ecclesia dissidentes. Multa deinceps super hac paschatis obseruatione conciliorum, & pontificum decreta, ac patrum rationes, & quę vocantur ecclesiastica computa emanarunt, neque tamen in hunc vsque diem veram, atque per vniuersum orbem eandem paschatis diem constituere potuerunt, & in hunc diem vsque consultis astrologis de calendarij reparatione, sed indecisio negotio disputatur, digna profecto res pro qua ob vnius Romani pontificis pertinacem religionem tantum ecclesia pateretur naufragium.

De ceremonijs. Cap. LX.

EX membris denique religionis, nõ minima sunt rituum & ceremoniarum pompæ, in vestibus, in vasis, in luminibus, in campanis, in organis, in concentu, in odoribus, in sacrificijs, in gestibus, in picturis pretiosis, in cibor& & ieiunior& delectu, & similibus (magna cũ admiratione tum veneratione ab imperita plebe & hominibus, qui nihil aduertunt, quã quæ ante oculos obseruantur) receptis ciusmodi. Numa

Pompilius primum Romanis ceremonias indixit, quorum præterxtu rudem adhuc & ferocē populum, qui vi & iniuria imperium occupauerat ad pietatem, fidem, iustitiam & religionem inuitaret, feliciusq; gubernaret, testātur hæc ancylia, ac palladiū sacra imperij pignora, Ianus bifrōs belli & pacis arbiter, ignis Vestæ, cui flamina custos imperij iugiter vigilaret, ipseq; annus fastorum, & nefastorum dierum varietate, per duodecim menses diuisus, sacerdotiorūq; magistratus, in pontifices & augures partitus, variiq; sacrificiorum & supplicationum, spectaculorum, processionum, delubrorum et officiorum ritus: quorum magna pars (Eusebio teste) exinde in nostram quoque religionem migrauit. Verum deus ipse, quem non delectant caro & corpus, & sensibilia signa, has exteriores carnalesque ceremonias despicit atque contemnit: non enim in corporalibus actionibus, & sensibilibus operibus, cultuque carnali vult coli deus, sed in spiritu & veritate per Iesum Christum. Ipse enim spectator fidei est, considerans intimum spiritum, & occulta hominum, scrutator cordium, qui intuetur intima mentis: quapropter carnales illæ & externæ ceremoniæ nequeunt homines promouere ad deum, apud quem nihil est acceptum, præter fidem in Iesum Christum, cum ardenti imitatiōe illius in charitate, ac firma spe salutis & præmij: hic enim est verus & nulla externorum carnaliumque rituum inquinatione violatus dei cultus, quod nos instruens Ioannes ait: Spiritum esse deum, & eos qui volunt adorare in spiritu & veritate oportet adorare: Cognouerunt hoc etiam aliqui gentium philosophi, hinc PLATO in veneratione

summi dei exteras omnes ceremonias auferri iubet, & Hermes ad Asclepiũ inquit: hoc sacrilegio simile est cũ deũ roges thus atq; similia incende re: nihil enim deest ei qui ipse est omnia, aut in eo sunt omnia, sed nos agentes gratias adoremus: hæc enim sunt summæ incensiones dei: quando a-guntur gratiæ a mortalibus. Neq; præterea habe mus quicquam aliud quod reddamus deo magis acceptum quam laudem, gloriam, & gratiarum actionem, neq; vero hic quispiam obiiciat Mosaicæ legis sacrificia, ritus & ceremonias, quasi deus in illis delectatus sit, nõ propter hoc eduxit eos de Aegypto, vt sacrificia illi offerrent & adolerent incensa, sed vt obliti idololatriæ Aegyptiorũ, audirent vocem domini, & obedirent illi in fide & iustitia propter illorum salutem. Quod autem Moyses illis sacrificia & ceremonias instituit, morem gessit infirmitati & duricie cordis eorum, aliquid indulgens errori, vt eos ab illicitis reuocaret ne gentium ritu sacrificia immolaret dæmonibus & non deo: non enim principaliter hæc sed secundum consequentiam concessa sunt, nec aliter eos obligare potuit lex illa, nisi quatenus populi consensu fuerat comprobata, quin & Moyses ipse laturus has ceremoniarum leges seniorum & populi collegit suffragia, quo illos sibi magis haberet obnoxios, ideoq; lex illa pro temporum & rerum vicissitudine potuit immutari, & aliquando in totum erat abroganda. Lex autem dei quæ in lapideis tabulis tradita erat, perpetua est. Sic em̃ locutus est dominus per Ieremiam: Quo mihi thus de Saba affertis, & cinnamomum de terra lõgin qua? Holocaustomata & sacrificia vestra nõ delectauerunt me. Et iterum per eundem ait: Hæc

dicit dominus: Holocaustomata vestra colligite cum sacrificijs vestris & manducate carnes, qui non sum locutus ad patres vestros, nec de holocaustomatibus nec sacrificijs præcepi eis, qua die eduxi vos de Aegypto, sed sermonem hunc præcepi eis dicens. Audite vocem meam, & ero deus vester, & vos eritis populus meus, ambulate in oñibus vijs meis, quæcunq; præcepero vobis, vt bene sit vobis. Et iterum apud Isaiam ait dominus: Non obtulisti mihi oues holocaustomatis tui, nec in sacrificijs tuis clarificasti me, non seruisti mihi in sacrificijs, nec aliquid laboriose fecisti in thure, nec mercatus es mihi argento incensum, nec adipem sacrificiorum tuorum concupiui, sed inpeccatis tuis ante me stetisti. Super quem igitur, ait, aspiciam, nisi in humilem & quietum & trementem sermones meos, non enim adipes & carnes pingues auferēt a te iniusticias tuas, hoc est enim ieiunium, quod ego elegi dicit dominus: Solue omnem nodum iniusticiæ, dissolue connexus violētorum commerciorum, dimitte quassatos in requem, & omnem conscriptionem iniustam conscinde: frange esurienti panem tuum ex animo, & peregrinum sine tecto, induc in domum tuam. Si videris nudum, cooperi eum, & domesticos seminis tui ne despicias: tunc erumpet matutinum lumen tuum, & sanitates tibi cito orientur, & præcedet ante te iusticia, & gloria dei circundabit te. Et adhuc te loquente dicam: Ecce adsum. Non inficior quemadmodum olim in synagoga Moyses & Aaron, & per successionem cæteri pontifices, iudices, prophetæ, vsque ad scribas & pharisæos, sic postmodum in ecclesia ab apostolis, euangelistis, pontificibus, sacerdotibus & doctoribus factum,

vt illam pijs qbusdam ceremonijs, elegantibusq; ritibus & institutis, tanquam sponsam ornatam viro suo decorarent, multa insuper statuta & decreta ediderunt posteriores, iuxta hominum imbecillitatem. Sed quod solet sæpe cõtingere, vt quod prouisum est ad remedium tendat ad noxã, sic accidit vt crescẽtibus ijs ceremoniarum legibus, plurimis constitutionibus hodie onerentur Christiani, quam olim Iudæi: quodq; magis dolendum est, cum ipsæ per se nec bonæ sint nec malæ, plus illis fidat populus, artiusq; obseruet, quam tradita a deo præcepta, dissimulantibus illa nostris episcopis, & sacerdotibus, & abbatibus, & monachis, ac suo ventri interim egregie consulentibus. Ceremoniæ autem etsi nullas contra fidem hæreses dederint, innumeras tamen in ecclesiam sectas introduxerunt, maximorumq; schismatum semina fuerunt. Hinc primum Græca ecclesia a nostra abscissa est, q; illa non in azimo consecraret, sed in fermento, cum tamen illam vere consecrare fateamur. Deinde etiam Bohemorum ecclesia separata est, quia antiquo ritu contra recentiorũ pontificum interdicta, sub vtraq; specie communicaret eucharistiæ: q; si (vt ait Apostolus) circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum dei, sic & ceremoniæ nihil sunt, nisi obseruatio præceptorum ecclesiæ. Nephas ergo est vtrobiq; propter modicas & quaslibet causas, quæ Christianæ fidei nihil officiunt, vnitatem ecclesiæ scindere, & corpus Christi diuidere, & quod pharisæis saluator improperat excolere culicem & camelum glutire, atq; turbata pace ecclesiæ in illis pugnare, vnde plus obsit schismatis pernicies, q̃ prosit correptio. Potuissent Roma

si pontifices multa mala fustuliſſe, pacata mq; et integram ſeruare eccleſiam, ſi toleraſſent Græcorum fermentum, & Bohemorum calicē, necq; vero maiora hæc ſunt, q̄ quod Innocentius octauus (Volaterrano teſte) conceſſit Norueg̃ijs, vt licere t illis ſine vino ſacrificare calicem.

¶ De magiſtratibus eccleſiæ. Cap. LXI.

IAm vero & magiſtratus & variæ hominū ſectæ ſunt in eccleſia, cum ad ornamentum religionis, tum pro conſeruando ſacrorum ordine, ne fiat cōfuſio: quicquid autem agitur in eccleſia, ſiue ad ornamentum, ſiue ad ædificationem religionis, tam in deligēdis magiſtratibus, q̄ inſtituēdis miniſtris eccleſiæ, niſi id fiat diuini ſpiritus inſtinctu, qui quaſi anima eſt eccleſiæ, vanum eſt et impium: quicunq; enim ad magnum dei officiū & apoſtolatus dignitatē a ſpiritu dei vocatus nō fuerit ſicut Aaron, & qui non ingreſſus fuerit per oſtium, quod eſt Chriſtus, ſed aliunde in eccleſiam aſcenderit per feneſtram, per fauores hominum, per emptitias voces, per imperium principum, certe hic non eſt vicarius Chriſti & apoſtolorum, ſed fur & latro & vicarius Iudæ Iſcariotis & Simonis Samaritani. Hinc ab antiq̄ patribus de electione prælatorum (quod ſacer Dionyſius vocat nominationis ſacramentum) tam arcte ſtatutum eſt, q̄ pōtifices & apoſtoli qui præeſſent miniſterijs in eccleſia, nominarentur viri vita & moribus integerrimi, potentes in doctrina ſana de oīb rationē reddere: ſed antiquis patrum cōſtitutionibus paulatim a ſua maieſtate cadētibus, ac recentiore pōtificio iure cū damnabili conſuetudine inualeſcente, tales plęriq; ſuper ſedem Chriſti conſcendunt pontifices & apoſtoli, quales olim

ſuper ſedem Moyſi ſedebant ſcribæ & phariſæi, qui dicunt & non faciunt, alligantes onera grauia in humeris populi, ipſi autem nolunt digito mouere: hypocritæ ſunt, omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus, oſtentantes religionem ſuam in ſcenis, cupiunt primas ſtationes in choro, in gymnaſijs, in ſynagoga, & vbicq; in foro, in plateis rabi & magiſtri & doctores vocari volunt, claudunt viam cœlorum, & ipſi non introeuntes etiam alios excludunt nec ſinunt intrare: comedunt domos viduarum orationes longas factitantes, circumeuntes mare & aridam seducunt & furãtur pueros, ut nacto vno proſelyto ex augeant perditum eorum numerum, vt ipſi perditi & addicti gehennæ ignis alios ſimul ſecũ multo magis diſperdant ſuis commentis & traditionibus, priſſimas Chriſti leges labefactant, verũ dei templum ac viuas Chriſti imagines & aras animarum populi negligentes, aurum & oblationes auaro oculo curant, leuiora & quaſi ſiniſtra legis facientes, de decimis, collectis, oblationibus & eleemoſynis accurate noua cudunt, & leges ceremoniarum arcte ſanciunt, decimantes fruges pecora, pecunias, & etiam quæuis minima, mentam, anethum, cuminum, & de his canum more collatrantes a ſuggeſto confligunt cum populo: quæ vero grauiora & dexteriora ſunt opera euãgelij, & legis, & iuſtitiæ Chriſtianæ, iudicium, & miſericordiã, & fidem oĩno negligunt, excolant culicẽ, deglutiunt camelũ, ceſpitant ad lapidẽ, ingẽs ſaxum tranſiliunt, duces cæci, falſi & doloſi, geni mina viperarũ, terſi calices, ſepulchra dealbata, foris in mitris, in pileis, in habitu, in veſtitu, in cuculla oſtentantes ſanctimoniã, intus pleni ſpurci-

tia, hypocrisi, iniquitate, scortatores, saltatores, histriones, lenones, aleatores, heluones, temulenti, venefici, qui iam antea (quod notat Ioannes Camotensis episcopus) nō ex virtutum meritis, sed aut per turpe obsequium, aut intuitu munerum, aut fauore principum, aut vi armorum, ad sacerdotia, ad beneficia, ad episcopatus conscenderunt, aut sub hypocrisis fuco, hæc ad se traxerunt, exbonis ecclesiæ quæ pauperum sunt, sibi priuatas diuitias cumulantes. Monopolia & nundinas constituentes in eleemosynis parentum nostrorum, abutentes illis in scortis, in alea, in venatione, in omni luxu & spurcitia:

Gaudent equis canibusque, & aprici gramine campi.

Concutiunt populos, vexant regna, solicitant bella, diruunt ecclesias, quas religiosorum patrū construxit deuotio, ipsi extruentes palatia, incedentes in vestibus purpuratis & deauratis magno plebis detrimento, & religionis infamia, ac reipublicæ insupportabili onere: Quos non mercenarios pro pastoribus, non lupos pro mercenarijs, sed pro lupis diabolos, beatus ille Clareuallensis Bernardus in sermone ad generalem Remensem synodū præsente Romano pontifice definiuit. Iamq; etiā ipse Romanus summus pontifex (q̄d idē sctūs episcopus Camotensis conquerit) oībus grauissimus & intolerabilis est, cuius pōpā et fastū nullus vnquam tyrannorum æquauit, atq; ij interim in se solis iactant religionis & ecclesiæ statum consistere, cum religionis onera & verbum euangelij q̄d verum pontificium munus est, in alios reijcientes ipsi in condendis propr̄ijs legibus occupati, ecclesiæ accipiunt emolumenta, otiosi simul & flagi-

tiosi: & quia (vt aiunt) sedes ipsa pontificia aut sanctos recipit aut sanctos facit, hinc sibi nihil nō licere putant: adeo vt etiam sacris ecclesiæ cerimonijs, quas sancti patres ad instruendos mortalium animos, & pro conferenda nobis dei gratia, magna obseruantia instituerunt, nefaria voluptate pro sua libidine impudenter flagitiosissimeque abutuntur: cuiusmodi exemplum de Bonifacio octauo pontifice in Prochetum cardinalem legimus apud Crinitum: Hic est ille magnus Bonifacius, quia tria magna & grandia fecit: primum falso oraculo deluso Clemente, persuasit sibi cederet apostolatum: secundum condidit sextum decretalium & papam asseruit omniū dominum, tertium instituit Iubileum indulgentiarum nundinas, illasque primus in purgatorium extendit.

Transeo cætera illa Romanorum pontificum mōstra, quales Formosus papa, & nouem sequentes olim ecclesiæ turpiter præfuerunt: taceo etiam posteriores illos, Paulum, Sixtum, Alexandrum, Iulium, famosos Christiani orbis perturbatores: Prętereo Eugenium, qui ob violatum Turcæ iusiurādum, Christianam rempublicam in tot funestissima bella cōiecit, ac si nō etiam hosti fides seruanda sit. Alexander sextus q̄to Christianę reipublicæ damno Zizimū Bazaithæ Turcæ fratrē venemo sustulerit, oīibus notum est. Iamq; ipsi etiam Romanorum pontificum legati, quod ait Camorensis & quotidiana experientia notissimum est: sic interdum in prouincijs debacchantur, ac si ad flagellandum ecclesiam egressus sit satan a facie domini: commouent et conturbant terram, vt videantur habere quod oporteat sanare, lætanť cū mala fiunt, exultantes in rebus pessimis,

Vixq; tenent lachrymas cum nil lachrymabile cernunt, siquidem peccata populi comedunt, & vestiuntur & nutriunt & luxuriant in eis. Sed habent vitiorum suorum efficacissimos titulos, nec qc̃ illis obiici potest quod non alicuius sanctorum exemplo constantissime excusent, aut tueantur. Nam si improperetur illis quia indocti & illiterati, dicent tales Christum delegisse apostolos, qui nec magistri legis nec scribæ fuerint nec synagogas nec scholas vnquam frequentauerint: si linguæ barbaries obiicitur, dabunt Moysen impeditæ linguæ, & Ieremiam nescientem loqui, quin & Zachariam qꝫ mutus esset a sacerdotio nõ exclusum: quod si etiam sacrarum literarum ignorantia, aut infidelitas, aut error, aut hæresis obiiciatur, dicent: Ambrosium nondum Christianum, sed catecuminum adhuc, in episcopum electum: & Paulũ non ex infideli modo, sed ex persecutore ad apostolatum vocatum: Augustinum quoq; aliquando Manichæum fuisse, et Marcellinũ martyrem in papatu idolis thura adoleuisse: quod si obiiciatur illis ambitio, exemplo illis erunt filij Zebedei si timiditas, timidi erant Ionas et Thomas: ille ad Niniuitas, hic ad Indos accedere metuentes: Si perfidia, Petrus perfidiæ addidit periurium: si fornicatio, Ozeas meretricẽ, & Samson scorta complexi sunt. Si percussio, si homicidium, si militia Petrus Malcho auriculam amputauit, Martinus Iuliano militauit, & Moyses Aegyptium interfecit, & abscondit in sabulo, adeo nihil penes eos refert qualis quisque sit qui accedat ad sacerdotia, atque tunc horum magistrorum gladio oportet vt quisque ceruices suas supponat, gladio inquam, non gladio verbi dei, cuius illi custodes &

miniſtri eſſe debent: ſed gladio ambitionis, gladio auaritiæ, gladio mulctæ & extortionis, gladio mali exempli, gladio ſanguinis & occiſionis, quo armantur contra omnem veritatem et iuſtitiam et honeſtatem.

Sceptrorum vis tota perit ſi pendere iuſta
Incipit, euertetq; aras reſpectus honeſti
Libertas ſcelerum eſt, quæ regna inuiſa tuetur,
Sublatusq; modus gladij, face cæca omnia ſæue.

Non impune licet illorum placitis cõtradicere, nec libidini eorum reſiſtere, niſi quis paratus ſit martyrium ſubire pro Chriſto, hoc erit excremari pro hæretico, quemadmodum Hieronymus Sauonarola prædicatorij ordinis theologus, ſimul ac propheticus vir olim apud Florentiam exuſtus eſt.

Hiero. Sauonarola pr

Verum quoniam omnis poteſtas bona eſt, quia a deo eſt, a quo ſunt omnia et omnia bona, et licet vtentibus aut patientibus aliquando mala ſint, vniuerſitati tamen ſemper bona ſunt, prouidente ſic illo qui bene vtitur malis noſtris: propter multitudinem enim delinquentium ſuperinducit deus tyrannos, et peccata populi faciunt regere hypocritam. Quicunq; igitur a domino conſtitutus eſt epiſcopus in eccleſia, dignum et iuſtum eſt obedire illi, et in nullo cõtradicere, qui enim epiſcopo et ſacerdoti obedire contemnit, non illum ſed deum contemnit, quemadmodum de contemptoribus Samuelis ipſe locutus eſt, inquiẽs: Non te ſpreuerunt ſed me: Et Moyſes aduerſus murmurãtem populum ait: non aduerſus nos murmuraſtis, ſed aduerſus dominum deum: Non igitur inultus permanebit a domino, qui ſe contra epiſcopum et prælatum ſuum oppoſuerit, Dathon et Abiron reſiterunt MOYSI, et terra viuos abſorbuit:

Multi cum Chore conspirauerunt aduersus Aarō, & igne consumpti sunt: Achab & Iesabel persecuti sunt prophetas, & canes comederunt eos: egressi sunt pueri, vt illuderent Helisæo, & vrsi dilanierunt illos: Ozias rex contra sacerdotes sacerdotiū arrogare ausus, leprosus factus est: Saul quia præter Samuelem sacerdotum principem sacrificare præsumpsit, regia vnctione simul & prophetico spiritu priuatus a deo, datus est spiritui malo. Infidele est scripturis sacris non credere, impiū est sacerdotes spernere, boni sunt sacerdotes, melior episcopus, super omnes sanctissimus summus pontifex & princeps sacerdotum, cui creditæ sunt claues regni cœlorum, & commissa sunt secreta dei, princeps quidem secundum deum, pontifex secūdum Christum, quem qui honorat, honorabitur a deo, qui inhonorauerit, inhouorabit illum deus & vltionem euadere non poterit.

De sectis monasticis. Caput LXII.

SVnt adhuc in ecclesia diuersarum sectarum populi, monachi, & fratres & anachoritæ, q̄bus vetus lex omnino caruit: Caruit etiam ecclesia eo tempore quo fuit optima, nec tot ceremoniarum ritibus implicita, qui hodie religiosorum nomen sibi soli vendicant, arduas profecto viuēdi regulas, & officia sanctissima professi, laudabiliumque uirorum sanctissimorumq; patrum nomina, puta Basilij, Benedicti, Bernardi, Augustini, Francisci & similiū p̄ se ferentes: sed hodie pauci inter eos boni, ingens autem malorum turba. Siquidem huc tanq̄ in malorum omnium Asylū confluunt, quoscunq; scelerum conscientia terret, qui ob legum uindictam nusquam alibi tuti sunt,

q̄ crimina cōmiserūt suppliciꝫ expianda, q̄s uitæ turpitudo abstraxit ad infamiā: q̄s rebus suis scortis, alea, ingluuie profusis, æs alienū ac turpis egestas mēdicare cōpellunt: & q̄s labore subterfugiētes, spes otij, ac fraudatæ cupiditatis ipatiens desperatio, aut circūuenta iuuentus, aut inista nouerca, aut ini q̄ tutores, huc impegerūt: quoꝝ oīum agmē iungit sictra sanctimonia, cucullatus habitus, & valida mēdicitas, atq; illud mare magnū in q̄ cū ceteris piscibus habitāt Leuiatā et Behemoth, cete grandia, beluæ, & reptilia quoꝝ nō est nume. de q̄ exiliūt tot stoicæ simię, tot insolētissima pescinummia, tot palliata mēdicabula, tot cucullata mōstra, barbigeri, sunigeri, restiferi, saccogeruli loripedes, lignipe. nudipe. atrati, nigritæ, grisones, albichlamydes, v̄si colores, multipel, linostoli, retiarij, pallidati, chlamydati, pullati, paludati, p̄cincti, brachati, ac id genus alioꝝ turba histrionū: q̄ cū de rebus huma. nullā fidē habeāt reliquā, ob mēstruosæ uestis habitū credūt illis diuina, hodieq; sācrū religio. nomē sibi solis usurpāt, ac se Chri sodales aplorumq; cōtubernales iactāt: quoꝝ uita sæpe sceleratissima ē, auaritia, libidine, gula, ābitione, temeritate, petulātia, et oīi scelere referta, sed religionis p̄textu spoliata, Romanę em̄ eccliæ priuilegijs munita sūt, et a iurisdictiōe omniū eccle. exēpta sunt, q̄ plura illis impune liceāt: cunq; ipsi pro foro rei alios q̄sq; ubiq; cōueniant, ipsi tū cōueniri nō possūt, nisi aut Romę aut Hierosolymis. Horuanitates & erro. si mihi calamo explicādi forēt, nō caperēt oēs pelles Madian, cōq; inq̄, q nō pietatis cā professi sunt religionē, sed vētris grā cucullam induerūt. Neq; uero bonos offendet hic sermo, quē de solis improbis dictū uolo, q̄ sub pellib. agninis sunt lupi rapacissimi, et in uestib. ouium astutā gerūt sub pectore vulpe: adeo dissimulantes artes fallaciæ suæ, vt nihil aliud professi uideant q̄ scenicā quā dā hypocrisim, et merū q̄stū pietatis imagine p̄sonatū, dū pallido vultu mētiunt ieiunia, & obsequentib. lachrymis profunda a pectore trahunt suspiria, et mobil. labris frequentes orationes simulantes, & gressu incessuque compositio, gestibus tranq̄llis, modestiā sibi uēdicantes, fucato

habitu humilitatē & suspēsa a collo cuculla sanctimoniā foris professi, intus autem detestandos mores secum ferentes: atq; cum inter hæc sceleratissima q̄q; nōnunq; cōmittant, seruanē vincuntq; religiōis titulis, cuculla veluti clypeo cuncta fortunæ spicula repercutiētes, & ab oibus mūdanis periculis ciuilibusq; molestijs securi, panē ocioſum & emēdicatū proeo q laborib. acgritē vescētes, securi & sine solicitudie dormiētes, hācq; tū euāgelicā paupertatē putāt i ocio & mēdicitate vesci alienis laborib. cūq; summā humilitatē profiteanē, icedētes vili veitutu, vt rustici nudipedes, vt histriōes retiarij, cincti funib. vt capti latrones, raso toto cap. vt fatui, cuculla, auricul' ac tintinabul' tenus morionib. ac laruis carnispriuatis alib. q̄ similimi, cæteràq; q̄cūq; cōtumeliæ & abiectiōis signa pp Chr̄m et religionē sese suscipere fateāt, uincūt ambitiōe et oēm isti tuti sui rōnē i arrogātiss. titulos refert, ac paranymphi, rectores, gardiani, p̄sides, prio. vica. prouinc. archimā, gñales vocari gliant, vt nullū hoim genus tā videat primi loci appetēs q̄ istud. Non desunt q̄ de istis perplura mala male dici possent, sed iā p̄cesserūt q de ijs ampliss. maledictis cōcionati sunt, adeo vt nō solū mltos probos et integræ vitæ ȳe religiosos p̄res, sed ipas etiā sctōs p̄m bñui uēdi istituta & regulas cōtēptui exposuerūt, q̄ circa nihil ego hic i suggillatiōes eoꝝ dixisse volo, q recte in profess. suis ambulātes, sctōꝝ illoꝝ p̄m uestigia seq̄ntes, adcumulū aspirāt perfect. fateor regulas & profess. illorū sctās, fateor eē in hūc diē sctōs monach. sctōs frēs mēdicantes, sanctos anach. sctōs cano. regulares: tñ int' hos p̄imos infideles & reprobos & apostatas, qb. religiōis professio defor mat, atq; hoc ē propositū nostrū, voluisse oñdere nullam vnq̄ cuiusuis religiōis, profess. tā castā extitisse, in q̄ nō irrepserit erroris & malitiæ macula, siqdē & angelos apostatas legimus, & primos frēs parricidas, prop. reprobos, apl̄os proditores, & discip. Christi perfidos, atq; int' Romanos pontif. supra multos schismaticos & reprobos & etiam hæreticos, aliqñ etiam mulierē ad tarti apicis culmē cōscendisse, q̄ vocata est Ioan. oct. rexitq; sedē apl̄icā

laudata ab omnibus, annos duos cum aliquot mẽ sibus atque diebus: & quod mulieribus in eccle sia negatum est, contulit, sacros ordines, promouit episcopos, ministrauit sacramenta, cæteraq; Ro manorum pontificum exercuit munera: et facta eius in ecclesia non fuerunt irrita, communi videli cet errore faciente ius, quo prævalente, puto eccle siam nunc coactam multa dissimulare quæ religi onis rigor alias nõ tulisset, adeo ne in religionibus quicq̃ integrum, stabile, & perpetuum reperiri po test. Quicunq; autem in ecclesiam dei sectas intro ducunt, et tanquam sibi placentes quæstus causa, aut fictæ sanctitatis gloria secedũt a principe Ro mana ecclesia, ij tanquam Nadab & Abiu alie num ignem offerentes ad altare dei, ab eo combu rentur. Qui vero elati et peruersæ sententiæ exco gitatis hæresibus exurgere audent aduersus eccle siam dei, cum Dathan & Abiron voragine terræ absorpti viui descendent in infernum. Qui autem scindunt vnitatem religionis et Christi mẽbra di uidentes affligunt ecclesiã dei, eadem pœna qua Ieroboam exterminabuntur.

¶ De arte meretricia. Caput LXIII.

RElíquum nunc quia apud Aegyptios pri mos religionum autores neminem olim sa cerdotem fieri licebat, qui Priapi sacris nõ prius initiatus fuisset: atque in nostra eccle sia receptum sit, q̃ carens testibus papa esse non possit, prohibeanturque spadones, eunuchi, et ca strati in sacerdotes ordinari: palãque videmus vbicunque sunt magnifica ista templa, & sacerdo tum monachorumq; collegia, vt plurimum in pro ximo esse lupanaria, quin & plurimæ monialium et vestalium ac beguinarum domus priuatæ quæ

dã meretricularũ fornices sunt, q̃s etiã monachos & religiosos (ne diffameẽ eor̃ castitas) nonnunq̃ sub monachali cuculla ac virili veste in monasteriis aluisse scimus. Visum est nõ p̃ē otdinẽ de arte meretricia sermonẽ hic subnectere, q̃ eqdẽ ad bñ istitutæ reipublicæ rationem, non solum utilem, sed & necessariam esse plærique sapientissimi arbitrati sunt. Nam Solon ille magnus Athenienſium legislator, atq; vnus de septem sapientibus Apollinis oraculo iudicatus (vt testes sunt Philemõ & Menander) emptas iuuentuti meretriculas comparauit, & primus Veneris Pandemi templũ ex prostitutarum capturis dedicauit, lupanariaq; instituit, legem sanciuit immunitatẽ, etiam meretricibus concessa roborauit: tantæ quoq; reuerentiæ habitæ sunt meretrices in Græcia, vt cum Perses in Græciam expeditionem faceret, Corinthiæ meretrices pro salute Græciæ in templo Veneris supplicarent: Mos quoq; is erat apud Corinthios, vt de re magna supplicaturi Veneri, meretricibus id committeretur: Meretricum templa cõstructa plurima apud Ephesum, & aliud celebre ædificarũt Abideni, q̃ libertatem sibi ademptã metricis opera recuperarunt. Ipse præterea sapiens Aristoteles nõ dubitauit etiam meretrices diuinis honoribus dignas, quando Hermiæ pellici sicut Eleusinæ Cereri sacra fecit. Inuentum autem huius artis Veneri tribuitur, quæ idcirco etiam inter deas relata est: hæc enim impudica omnibusq; prostituta libidinibus autor mulieribus i Cypro fuit, vt vulgato corpore quæstum facerent: vnde a pud Cyprios narrãte Iustino mos inoleuit, vt virgines eorum ãte statutas nuptias in quęstum ad littus maris prostituerent dotem lucraturas, & pro reliqua

pudicitia Veneri libamenta solututas: apud Babylonios etiam (teste Herodoto) consuetudo fuit, vt qui rē domesticā consumpsissent, filias suas adigerent ad quęstū corpore faciendū: Verū Aspasia Socratica meretrix vniuersam Græciam, vt scribit Atheneus, meretricibus impleuit: ob cuius amorem eiusque ministras a Megarensibus raptas ait Aristophanes bellum Peloponnesiacum a Pericle susceptum: Extulit autem hanc meretricandi artem permultum imperator ille Heliogabalus, qui (vt testis est Lampridius) lupanaria domi amicis clientibus, & seruis exhibuit, conuiuia dedit ad uiginti duo fercula ingentium epularum, sed vt per singula conuiuæ coirent & lauarent: iuramentoq; adigebantur q; voluptatem hanc perficerent, sæpe etiam meretrices a lenonibus cūctis redemit et manumisit: e qbus meretricē quandam notissimam & pulcherrimam triginta argēti libris redemisse legit: ferē & vna die ad omnes circi, & theatri, & amphitheatri, & omnium vrbis locorum meretrices ingressus, & singulis aureum donasse. Aliquando etiā omnes de circo, de theatro, de studio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit in ædes publicas, & apud eas concionem habuit, quasi militarem uocans commilitones, disputauitq; de generibus schomatum et voluptatum, post concionem pronunciauit ijs quasi militibus ternos aureos donatiuum. Etiam matronis Romanis meretricari volentibus, non solum impunitatem, verum etiam immunitatem concessit, salariaq; ex publico ærario meretricibus statuit: Etiā senatusconsulta quædam amatoria & meretricia siue futuatoria inuulgauit, eaq; de nomine matris siue coniugis suæ cemiramida iussit appellari, in-

super & genera quædam libidinum adinuenit, q-
bus etiam Cyrenæ meretricula (quæ Dodeca me
chana, quoniam in Venereo vsu duodecim exco-
gitasset modos, quibus inscensori iucundius redde
retur libidinis proluuium, cognominata est) nu-
meros superaret, ac veteres omes tribades, hostias,
aphias, Spinctrias, Casaluadas, Casaritas, prosti
bulas, cæteraq; scortilla vinceret. Transeo Iudā
Israelitā, patriarcham scortatorem, & Samsonem
populi dei iudicē, qui nō nisi scorta duxit vxores,
ac Salomonem Iudæorū regem sapientissimū, qui
greges meretricum pene innumerabilium habuis
se proditur. Quin & cum Cæsarem dictatorem vi
rum strenuissimum hanc ob causam omnium mu
lierum virum nuncupatum: tum & Sardanapalū
Babyloniorum monarcham, cæterosque innume
ros meretricum potentissimos patronos, ipse etiam
Procolus imperator in hac arte non postremam
gloriam reportauit, qui (vt testatur eius ad Me
tianum epistola) ex captis centum Sarmaticis
virginibus decem prima nocte iniuit, omnes au-
tem intra quindecim dies constupravit: Sed ma-
ius illo est quod Poetę narrant de Hercule, illum
quinquaginta virgines vna nocte omnes mulie-
res reddidisse. Narrat etiam Theophrastus grauis
autor herbulam quandam Indicam tantæ virtu-
tis, vt quidam ea comesta ad septuagesimum
coitum processerit. Reliquum vero non parum
hanc artem ornarunt Sappho poetes Phaonis ad
amatrix: & Leontium Metrodori scortum in
philosophia eruditissima, adeo vt aduersus Theo
phrastum contra coniugium pro tuendo meretri-
catu libros ediderit: accedit istis Sempronia Græ-
ce & Latine eleganissima: nec prætereunda

hic est Leæna Aristogitonis Atheniensis probatissi mæ fidei scortum, quæ torta a tyrannis vt amicū proderet, tormenta omnia cum constanti silentio perpessa est: Nobilitarunt præterea hanc artē Rodope meretrix Aesopi fabulatoris conserua quondam & contubernalis, quæ tantas opes meretricio quæstu consecuta est, vt inter mundi spectacula tertiam ordine condiderit pyramidem: sequitē hanc Thais Corinthia, quæ prærogatiua pulchritudinis insignis, regum dunta xat & principū dignabatur amplexus. Maxime vero hanc artem extulit Messalina Claudij Cæsaris vxor, quæ lupanaria circumiens, etiam ancillam nobilissimā e prostitutis, die ac nocte quinto & vigesimo concubitu superauit, & lassata viris, sed non satiata recessit. Quibus adiungere poterimus ex recentiore memoria Ioannam Neopolitanorum illustrē reginam, & plærasq; alias principes, meretrices & Palatina scorta, si nuncupare eas tutum foret, q̄uis vulgata famæ notissimæ sint, hoc ipso tamē a cæteris meretricibus discretæ, q̄ cōtra Heliogabali legē non in publicis lupanaribus, vt Messalina illa imperatrix, sed intra limina clanculum fututunt, & quasi per insidias meretricantur. Ascribamus liceat etiam Octauiani Augusti vtramq; Iuliam, filiam & neptem, tum & populeam & Cleopatram Aegyptī reginam, & alias nobilissimas meretrices: quin etiam Semiramidis monarchę, et Pasiphae vetustissima libidinis exempla, quarū hæc tanta libidine ardebat, ut non modo filiū proprium incomplexum solicitaret, sed etiam equum vsq; ad coitum a damarit, illa vero Minois regis vxor se tauro supposuerit. Nolumus autem hoc loco illustrium meretricum catalogum edere, sed il-

lud prætereundum non est meretricios et adulterinos concubitus germinasse nobis splēdidissimos heroas, puta Herculem, Alexandrum, Ismaelem Abimelech, Salomonem, Constantinum, Clodoneum Francorum regem, & Theodoricum Gothum. Guilernum Normannum, Raymirum Aragonensem. Sed & qui hodie regnant & imperant reges, pauci admodum ex legitimis matribus nati sunt, tam leuia habentur penes eos matrimonij iura, vt pro libito desponsatas, iustas, verasq; vxores repudient, mutent atq; permutent, similiter & filios filiasq; tot nuptijs et sponsalitijs copulant & recopulant, vt nescite cogamur, vbi verum cohæreat illorum matrimoniū. Exempla huius plura suppetunt, sed pauca quę a prox mis annis lese offerunt, pro omnibus satis faciunt: Nonne Ladislaus Polonus accepta in vxorem Beatrice, cuius nutu Hungariæ regnum obtinuit, tandem repudiata illa superinduxit aliā ex Gallijs pellicē? Nonne Carolus octauus rex Frācorū repudiata Margareta Maximiliani Cæsaris filia, illius sponsam rapuit & vxorem sibi copulauit? quam eandem postea Lodouicus duodecimus repudiata sua sibi consimili thoro coniunxit, consentientibus istis & adiutātibus regni episcopis & pontificibus, quibus visum est pluris facienda iura acquirendæ Britāniæ, quam iura obseruandi legitimi matrimonij: & hodie adhuc nescio cui regi persuasum audio, vt liceat sibi iam plus viginti annorum vxorē dimittere & nubere pellici? Sed ad meretrices reuertendum est, harū artes qui nosse velit, videlicet quo ritu suam prostituant pudicitiā, qua oculorum lasciuia, quo nutu faciei, quo corporis gestu, quis sermonū blanditijs

quis impudicis contrectationibus, quo exteriore habitu ac fuco solicitēt corruptores, cæteras q̄ meretriciæ artis vafricias, illices, laqueos, stratagemata, apud comœdiarum poetas hæc requirat. Qui autem scire cupit, quo ritu, quo delinimento: quo contuitu, quo affatu, quibus basijs, quibus suauijs: quibus contactibus: quibus oppressiuncu lis, quibus affrictionibus quibus luctis, quo accubitu, quo cōstrictu, quibus motibus, quo impulsu, quo exceptu, quo recessu, qua Veneris protelatione, qua reciprocatione, qua instauratione meretricius ludus sit explendus, in medicorum voluminibus traditum inueniet. Scripserunt præterea libros de meretricibus Antiphanes, Aristophanes, Appollodorus, Calistratus, particulatim vero Laidis meretricis laudes scripsit Cephalus rhetor, atque Naidis meretricis laudes conscripsit Alcidamus. Scripserūt præterea de fornicarijs amoribus, tam Græci quam Latini, Callimachus, Philotes, Anacreontes, Orpheus, Alceon, Pindarus, Sappho, Tibullus, Catullus, Propertius, Vergilius, Iuuenalis, Martialis, Cornelius Gallus, & multi alij non tam poetarum quam lenonum officio functi: sed hos omnes vincit Ouidius in epistolis heroicis, & ad Corrynnam dictatis, maxime vero de arte amandi, quem verius de arte meretricandi aut lenocinandi intitulasset, ob quorum editionem q̄ iuuentutem impudicis documentis corrupisset, ab Octauiano Augusto in meritum exilium ad Getas vsque relegatus est: ipse etiam Archilochus Lacedæmonius olim omnes amorum libros iussit excremari, & tamen hæc ars hodie adhuc a nobis legitur, & ludimagistri hanc suis prælegunt discipulis, & editis in eam scelestissi-

mis commentarijs exponunt, quin & vidi ego nuper atq; legi sub titulo Corrosanæ Italica lingua editum, ac Venetijs typis excusum de arte meretricia dialogum, vtriusque Veneris omnium flagitiosissimum, dignissimum qui ipse cum autore suo ardeat. Prætereo hic & consulto quidem Cinedum & Pediconum detestandam libidinem referre, & si illam magnus probet Aristoteles, ac Nero imperator publico thoro honestauit, quo tempore Paulus Apostolus scribens ad Romanos indignationem omnipotentis dei illis indicit: Pluet enim super eos dominus laqueos vt non effugiant, ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum. In hos iubet imperator insurgere leges & armari iura, & exquisitis pœnis vltore gladio pœnam irrogari capitalem: sed hodie igne excremantur: quam Moses in legibus suis crudelibus supplicijs extirpandam censuit, & Plato a sua republica expellit, & in legibus damnat. Antiqui etiam Romani hanc (teste Valerio & alijs) seueriſſime punierunt. Exempla huius fuerunt. Q Flaminius atque tribunus ille a Cælio occisus, sed nos honestis auribus parcentes ab hac monstrosa libidine & brutali spurcitia ad meretrices redeamus. Siquidem omnibus hæc libido infesta est, & non est qui ignem illius aliquando non senserit, sed aliter vruntur fœminæ, aliter viri, aliter adolescentes, aliter senes, aliter plebei, aliter proceres, aliter pauperes, aliter diuites, quodq; mirabilius est pro nationum & terrarum varietate, aliter Itali, aliter Hispani, aliter Galli, aliter Germani. Itali libidinis incendio pro cuiusq; sexus, ætatis, dignitatis, fortunæ atq; nationis differentia sibi varios

ſnſaniendi ritus deligente: virorum amor ardentior ſed fœminarum partinacior, amor iuuenum laſciuus eſt, & ſenum ridiculus, placere ſtudet pauper obſequo, diues muneribus, plebei conuiuijs, proceres pompa et ludis: adoritur pathicam ingenio ſus Italus diſſimulato ardore quadam adornata laſciuia, illamq; editis laudat carminibus, omnibusq; præferens extollit: ſi potiatur zelotypus illam perpetuo recludit, ac veluti captiuuam obſeruat: ſi amore fruſtratus de recuperanda pathica deſperauerit, ad maledicta cõuerſus illam inſi nitis conuitijs deteſtatur. Præceps Hiſpanus ardoris impatiens, furibũdus irrequieta laſciuia ſtruit, miſerabilibusq; lamentis incendiũ ſuũ deplorans pathicam inuocat & adorat: ſi potitus fuerit, tandem aut zelotypus perimit, aut ſatiatus ad mercedem proſtituit: ſi frui deſperare cogatur ſe ipſum excruciat & mori deſtinat: Laſciuus Gallus obſequio nititur, cantibus & iocis pathicam oblectat: ſi capitur zelotypia mœſtus luget, ſi fruſtratus laceſſit cotumelijs, vidictam minatur vimq; intẽtat: ſi potitus fuerit tandem negligit et aliam vrit Frigidus Germanus lente inardeſcit, accenſus arte inſtat & donis prouocat, zelotypus liberalitatem continet, fruſtratus contemnit, potitus refrigeſcit. Fingit ſeſe amare Gallus, ardorẽ diſſimulat Germanus, amatum ſeſe ſibi perſuadet Hiſpanus: amare neſcit abſque zelotypia Italus, amat iucundam licet deformẽ Gallus, præfert pulchram licet inertem Hiſpanus: mauult timidulã Italus, cupit audientiorem Germanus: fit e ſapiente ſtultus pertinaciter amando gallus: rebus omnibus amando profuſis e ſtulto tandem, ſed ſero, fit ſapiens Germanus: ob placendi amatæ deſide-

rium magna aggreditur hispanus: vt amata fruatur, maxima quæq; contemnit Italus. Quin huiusmodi amorum libidinumq; passionibus irretiti etiam maximi viri multa præclara facinora sæpissime negligunt, & post terga relinquunt, cuiusmodi quondam in Ponto Mithridates, in Capua Hannibal, in Alexandria Cæsar, in Græcia Demetrius, in Aegypto Antonius: cessat olim abopere Hercules propter Iolen, Achilles pugnam detrectat propter Briseiden, moratur Circe Vlyssē, moritur in carcere Claudius propter Virginiam, retinetur Cæsar per Cleopatram, eademq; exitio fuit Antonio, produnt sacræ literæ propter fornicationem filiorum Seth cum filiabus Cain propt vniuersum hamanum genus diluuio extinctum, propter fornicationis impetum deletæ sunt Sichē & domus Emor, & pene tota tribus Beniamin: populus Israel propter fornicationem externarum fœminarum, quoties percussus est & in seruitutem datus? iamq; propter vnius Dauid regis adulterium, quanta strages peste, fame, & gladio facta est? propter fornicarios amores, fœminarumq; raptus Thebani, Phocenses, Circei expugnati atq; deleti sunt, ipsumque (vt diximus) Peloponnesiacum bellum a Pericle susceptum est, ac decennali bello expugnatum Ilium, maximo totius Græciæ atque Asiæ detrimento. Similes ob causas Tarquinius, Claudius, Dionysius, Hannibal, Ptolomæus, M. Antonius, Theodoricus Gothus, Rodoaldus Lōgobardus, Childericus Francus, Aduincelaus Bohemus, atq; Manfrodus Neopolitanus mortem & patrię ruinam passi sunt, propter Canan Iuliam Tingitanæ prouinciæ prę fecti filiam, per Rhodericum regem stupratam,

pulsis Gothis Sarraceni omnem Hispaniam occu parunt. Henricus secundus Anglorum rex ob stupratam nurum suam Philippi Francorum regis sororem, a filio suo regno pulsus est. Propter virorum fornicationes indignatæ vxores Clitemnestra, Olympia, Laodicea, Beronica, Frigiobunda & Blancha ambæ Francorum reginæ, et Ioanna Neopolitana, & pleræque aliæ maritos occiderūt eadem causa Madeam Prognen, Ariadnen, Altheam, Heristillam materno amore in odium versio, in crudelem filiorum cædem adegit: & posteris temporibus multę adhuc mulieres maritorū stupra in natos filios vindicarūt: Atq; ex mitissimis matribus crudelissimę Medeę & furibundę Altheę & impię Heristillę factę sunt.

De lenonia. Cap. LXIIII.

VErum quia lenonum & lenarum suasu, cōsilio, & opera committunt meretrices & scortatores, vt plurimum scelera sua, ipsam lenociniorum artem prosequamur: Nam sicut meretricatio ars est prostituendę propriæ pudicitiæ, sic lenocinium ars est oppugnandæ & prostituendæ pudicitiæ alienæ, quæ tanto q̄dem maior est meretricia, quanto sceleratior, tanto potentior, quanto ipsa est plurium artium satellitio constipata, tanto autem pernicioſior, quanto ipsa plures cæterarum artium ac scientiarum disciplinas amplectitur, quas aranearum instar irrepens quicquid in singulis artibus & disciplinis vspiam est veneni, id totū e singulis haurit, inde sua tela cōtexens: nō q̄dem quales araneæ telæ q̄ dimissis auibus nō nisi muscas capiūt, nec etiā cuiusmodi illa venatorū ingenia retia, q̄ grandiores beluas retinent, pusillas astutioresq; bestiolas

elabi sinunt: sed vincula nectit tam fortia, tamque solida, vt nulla puella, nulla mulier, tam sit simplex siue prudens, tam constans siue pertinax tam verecunda seu timidula, tam potens siue pusilla, si semel aures præbeat lenæ, non illico capiatur & hæreat: Astutia vero ea est, quam nulla vincit muliebris prudentia, a quarum tendiculis nulla puella, nulla matrona, nulla vidua, nulla vestales euadat indemnis. Cuius inermis militia plurium mulierum pudicitiam prosternit, quam vllus vnquam quantumcunq; maximus exercitus: Illius technæ, fraudes, doli, versutiæ, astus, eiusmodi quæ tradere nullus stylus sufficiat, nullum æquare possit ingenium: cunq; hæc ars plurimos vtriusque sexus habeat professores, tamen paucos admodum consummatos dedit magistros: nec mirum, nam licet tot sint lenociniorum genera, quot artium & disciplinarum, idcirco absq; omnium cognitione perfici non potest: Oportet ergo perfectum & consummatum lenonem lenamve omni scium esse, nec ad vnam solam disciplinam, uelut ad Arcticam stellam tãtum respicere, sed oẽs amplecti, eam artem professus, cui cæteræ omnes disciplinæ seruiunt & famulantur: est enim certa q̃dam omnium scientiarum seruitus lenocinio famulantium: Nam huic in primis grammatica scribendi & loquendi disciplina amatorias largitur epistolas, illasque effictis amatorijs salutatiunculis, precatiunculis, lamentatiunculis, allectatiunculis dictare docet: quarum exempla plæraque ex recentioribus Aeneas Syluius, & Iacobus Cauiceus & plærique alij reliquerunt: Verum est alia quædam grammaticæ ratio, de modo occulte scribendi, ceu de Archimede Siracusano le-

gimus apud Aulum Gellium, de quo artificio ante paucos annos scripsit Trithemius abbas Spanheimensis duo ingeniosa volumina, quorum vnum nuncupauit polygraphiæ, alterum steganographiæ: In quo posteriore tam securos secretosq; ad quantamcunq; etiam distantiam explicandi animi ritus modosq; tradidit, quibus nec Iunonis omniscia zelotypia, nec Danae arctissima custodia queat resistere, nec quæ omni aperuidens cē toculi Argi vigilantia queat explorare. Ars profecto non tam necessaria regibus quam lenonibus & amantibus omnibus commodissima. Succedit huic proxime poesis quæ suis lasciuis rythmis atque fabulis ac amatorijs bucolicis, epigrāmatibus, epistolis, & præceptiunculis, comœdijs, atq; ex penitissimis Veneris armarijs deprōptis lasciuis carminibus, lenocinio functa pudicitiam omnem subuertit, ac adolescentiæ bonam indolem moresq; corrumpit. Vnde poetæ inter lenones principatum fere obtinuerunt, e quorum numero apud priscos peritiores extitere illi, quos superius in arte meretricia nuncupauimus Callimachus, Philetes, Anacreontes, Orpheus, Pindarus, Alceon, Sappho, Tibullus, Catullus, Propertius, Vergilius, Ouidius, Iuuenalis, Martialis. Et hodie sunt adhuc poetæ qui pestilentissima carmina scribunt: Post istos vero non infimum inter lenones locum, sibi vendicant rhetores, fraudulentarum blanditiarum, & persuasionum artifices, illaque lenarum felicissima cui propitia est dea Suadela: Superiorem tamen istis locum possident historici illi præcipue qui amatorias illas historias contexuerunt, Lancesloti, Tristanij, Eurealis, Pelegrini, Callisti & similium, in quibus fornicationi &

adulterijs a teneris annis puellæ instituuntur & assuescunt: neq; vero machina quæuis, ad oppugnandum, cum matronarum pudicitiam, tũ ỹginum ac viduarum castimoniam, validior quam lectio lasciuæ historiæ: nulla tam bonæ indolis fœmina, quæ hac ipsa non corrumpatur: mirumque putarim si aliqua reperiatur aut mulier aut puella tam exactæ castitatis siue pudicitiæ: quæ ex eiusmodi lectionibus & historijs peregrina libidine non sæpe ad furorem vsq; accendatur. Atque tamen quæ in his libris plurimum edocta puella est, quæq; horum facere scit dicteria, & ex horũ disciplina cum procis in multas horas facundecõ fabulari, hæc demum est probe aulica: Permulti autem historici lenones extitere quorum nomina obscura sunt, multi etiam inter præclaros scriptores istis operam nauarunt, cuiusmodi ex recentioribus, Aeneas Syluius. Dantes, Petrarcha, Bocatius, Pontanus, Baptista de Cãpofragoso, & alter Buptista de Albertis Florentinus, item Petrus Hœdus, & Petrus Bembus, Iacobus Cauiceus, et Iacobus Calandrus Mantuanus, & multi alij, inter quos tamen Ioannes Bocatius superatis omnibus, lenonum palmam sibi lucratus est, in ijs maxime libris quos centum nouellarum intitulauit cuius exempla & traditiones nihil aliud sunt quã callidissima lenociniorum stratagemata. Iam vero quando honestatis ac religionis verecunda timidulaq; fœmina expugnanda est, quantum tũc dialecticæ argutiæ lenocinijs adiumenti præstant ipsa apud Ouidium Mirrhæ fabula palam facit: Proinde nunc ex mathematicis disciplinis arithmetici ludi lenocinijs commodi sunt, & musica ipsa non minima lenociniorum clientula est, quæ

vocis gratia & pestilentibus cantionibus instrumentorumque voluptarijs modulis libidinis incētiua in omnem lasciuiam & corruptionem animum emollit, mores subuertit, luxuriæ concupiscētiam affectusque validissime incutit: Cui accedit chorearum & saltationum commoditas, vbi cum pathicis libere loqui licet, & palpitare, oscula, basia, & suauia figere, & impudicis manibus quam velis contrectare, & non raro ad latebras confugere: Nec deest a lenocinijs geometricus architectus, qui scansili machinula per impluuium vel fenestram sub noctu congrediatur amatæ: quique adulteratis clauibus similibusq;, ceu quale Dedalus fabricauit Pasiphae ingenijs adulteris obsequatur. Iamq; etiam in picturis legunt quæ literas nesciunt mulieres, plusque ex illis intelligunt quã aliæ ex literis conspiciunt, dum intra cubilia nusquam non videant, quod cum scelere & flagitio æmulentur, nec minus per oculos atque per aures animus corrumpitur, tam enim hi ad animũ penetrant, atq; illæ: nec minus lasciuis imaginibus, quam rerum præsentia homines ad libidinem inuitantur: cuius rei argumenta sunt Venus Gnidia Praxitelis opera in templo fuprata, eiusdemq; artificis Cupido abs Alchida Rodio adolescēte corrupta: & quæ refertur ab Eliano Fortunæ statua, abs Athenienfi iuuene tam ardenter adamata, vt cum emere prohiberetur, apud eandem expirarit. Terentius etiam in Eunucho introducit adolescentem ad libidinem incensum, cum vidisset tabulam, in qua depictum fuerat, quomodo Iupiter per aureum impluuium corruperit Danaen, ideoque non immerito Aristoteles pœnam Publicam statuit pictoribus, qui talia proponũt oculis

multitudinis quibus libido inflammetur: neq; vero sine causa dicit Sapiens picturæ & statuariæ artes inuentas esse in tentationem animæ hominū, & in decipulam insipientium & corruptionem vitæ. Occurrunt nunc astrologi, chiromantes, geomantes, somniatores, ominatores, aruspices, augures, reliquusq; diuinatorum populus, qui omes lenonum officio fungentes, suis fallaciis ac versipellis astutiæ fraudibus spondent illicitos amores, conciliantq; non raro, sceleratissimas conglutinant nuptias, nimis raro bene pactas dirimunt in adulteria. Ab iis lenonibus non modo mulieres, sed q̄d pudendum est viri etiam amorum & coniugiorum suorum auspicia petunt, & spem potiundæ pathicæ puellæ capiunt, & pro illorum non tam stulto quam impio hortatu, sese connubiis iungunt vel eximunt. Cæterum etiam ad tam insanam credulitatem plærique inducti sunt, vt putent astrologicis imaginibus & horarum obseruationibus amorem cogi posse, sicut de istis Theocritus, Vergilius, Catullus, Ouidius, Horatius, Lucanus, & multi alij nugaces poetæ cecinerunt, atque ipsi astrologi poetis non minus mendaces autores, in suis electionum libris statis canonibus tradiderunt, quo vno profecto lenociniorum obsequio astrologi omnes & diuinatores non minimum faciunt quæstum: quibus in adiutorium proxime sese offert magia,

Quæ se carminibus promittit soluere mentes,
Quas velit, asstalijs duras immittere curas

De qua etiam apud Lucanum:

Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit
Non satis adductus amor.

Et apud Horatium Canidia, apud Apuleium

Pamphilæ maleficæ suos amatores astringunt, & in Callisti tragica comœdia Cœlestina lena Melibœam puellam accendit. Accedunt ijs etiam venefica, & philtra, amatoria pocula, sed admodū periculosa, vt pro amore nonnunquam mortem aut grauem aliquem morbum inducant. Horum hausu mortuus est Lucullus & Lucretius, sed dilucidis interuallis sensum mentemq; amisit.

Legimus etiam mulierem quandam, quæ amatorio poculo hominem occiderat, ab Areopagitis absolutam, quia amoris causa hoc commiserat: sed nulla lenocinijs accommodatior ars quamme dicina, quæ concupitam Venerem a quauis pathica puella facile obtinet, dum pollicetur resarcinato hymenæo amissam virginitatem restituere, papillas ne excrescant cohibere, vteq; prohibere, sterilitatis venena in longam securamq; libidinem ministrans, aut quassata spina conceptum semen ejcere docens, vt canit Lucretius.

Idq; sui causa consuerunt scorta moueri,
Ne complerentur crebro, grauidæq; iacerent.
Et simul ipsa viris Venus, vt concinnior esset
Quo vno medicorum beneficio iam multæ matronæ simul & puellæ aulicæ etiam domine secure futuūt: faciunt ad hanc rem etiam vetularum incrustationes, & reliqui meretricantium mulierum fuci, qui apud medicos in libris de decoratione passim traduntur docenturque, quibus noxias meretricum merces vendibiliores reddant, quæ idcirco sacræ literæ vocant vnguenta meretricia, & cum istis alia permulta pharmaca libidinum incentiua, cuiusmodi ope gloriatur OVIDIVS ad nouenarium numerum se inscendisse, & Theophrastus scriptam reliquit plantam

quandam ad septuagesimum coitum virés exten
dentem. Iam vero nullum lenocinium oportunū,
tempestiuumq; magis quam quod medicinæ præ
textu peragitur, nullæ siquidem domus tam clau
sæ, nulla monasteria tam recluſa, nulli carceres rā
custoditi, quæ non admittant, quæue excludant
lenonē medicum: e quibus (teste Plinio) etiam in
principum domibus adulteria perpetrata sunt, ut
Eudemi in Liuia Drusi, et Vectij Valentij in Mes
salina Claudij: & ne quis philosophos lenocinio in
utiles putet ipe Cyrenaicorum magister prohibet
Aristippus, cui cum esset apud Thaidem nobile
scortum frequens cum alijs riualibus consuetudo,
gloriabatur q; ipse haberet Thaidem, quum alij
a Thaide haberentur, quumq; illi sua bona perde
rent, ipse gratis luxuriaretur. Sic meretrix philoso
phum illum habuit pro lenone, cuius exemplo &
autoritate omnem iuuentutem ad se traheret: nec
satis fuit Aristippo sese meretrici lenonem exhibe
re, sed etiam docere publice libidines cœpit, illa sq;
de lupanari in scholas transtulit. Reliquum nunc
& mechanicæ artes perplures lenociniorum vi-
cem obtinent, inter quas phrygia artificia, nendi,
texendi, suēdi, cæteraq; muliebria exercitia prin-
cipatum tenent: quorum prætextu lenę dum linū,
filum, vittas, tiaras, corollia, cestes, loculos, chiro-
thecas circunferunt, ex iuuenculis olim meretrici
bus iam vetulæ mercatrices effectæ, pathicas pu
ellas ijs rebus facile allectant, & colloquēdi opor
tunitatem capiūt, quibus rum adsunt subsidio lo
trices, quibus permissum est domos libere ingre-
di, & filias ancillulasque absentibus matribus ad
lintea abducere: adsunt etiam mendicæ quæ ele-
emosynarum pietate obseruant ianuas, deferunt

referuntq; plena lenocinioꝝ & nuntia & literas:
Et ferunt ad nuptam dona quæ mittit adulter.
Proinde etiam & virilia nobilium exercitia leno
cinijs accõmoda sunt, vt equitia, q̃ torneamenta
vulgo vocant, ludicq; militares, quoꝝ astu Romu-
lus olim rapuit Sabinas. Iamque etiam venatio q̃
quoties in syluarum latebris nobiliũ potentumq;
adulteria conciliauit. Lusit hoc perpulchre Vergi
lius in Aenea & Didone a venandi oportunitate
delapsu comitum, occasione capta ipse etiam Iu
piter vsus est lenonibus pastoribus. Proinde & nau
tæ quid conferant lenocinijs ipsæ Venetię testabũ
tur, quin etiã lautæ coquinarum epulæ, opiparaq;
conuiuia lenocinioꝝ vicem tenent, vt elegantẽ in
suis Aeneadibus expressit Vergilius:
Postq̃ prima quies epulis mensæq; remotæ,
Crateres magnos statuunt & vina coronant:
Hic regina grauem gemmis auroq; popolscit
Impleuitq; mero pateram, celebrate fauẽtes
Dixit, & immensum laticum libauit honorem,
Primaq; libato summo tenus attigit ore,
Tũ Biciæ dedit increpitans, ille impiger hausit
Spumantem paterã, & pleno se proluit auro.
Post alij proceres Tyrij, Troesq; sequuntur,
Necnon & vão noctem sermone trahebat
Infelix Dido longumq; bibebat amorem.
Sunt adhuc quæ prætereo permulta lenociniorum
artificia, sed hæc omnia uincit autum, quo si alchi
mistę nobis (vt pollicentur) satisfacere possent, i-
psi profecto lenonum futuri sunt omnium inuictis
simi, potẽtissimum enim lenocinium in auro atq;
pecunia est,
Scilicet vxorem cum dote fidemq; & amicos
Et genus & formam regina pecunia donat.

Auro placatur zelotypus maritus, auro mollitur inexorabilis riualis, auro accuratissimi vincūtur custodes, auro quæq; ianua pāditur, auro omnis thalamus conscenditur, auro vectes & saxa, & insolubilia matrimonij vincula frangūtur. Quid mirum q̄ auro virgines, puellæ, matronæ, viduę, vestales veneunt, si auro Christus ipse venditur. Denique hac lenociniorum duce, plurimi ab infima sorte ad summum prope nobilitatis gradum conscēderunt. Prostituit hic vxorem, factus est senator: prostituit ille filiam, creatus est comes: hic aliam quamuis matronam in adulteri principis solicitauit amplexum, mox amplo stipendio dignus fit regius cubicularius: Alij ob despōsata regia scorta spectabiles facti sunt, publicisq; muneribus prefecti, eisdem artibus abs cardinalibus et pontificibus multi multa perpinguia venātur beneficia, nec est via vlla compendiosior. Quantum autem lenocinijs ipsis conducat religio, ipsa Paulinæ castissimæ inflexibilisque matronæ historia ab Egesippo descripta testatur, quam Isidis sacerdotes cuidam equestris ordinis adolescēti pro Anube deo prostituerunt: quid etiam in istis posset auricularis nostra cōfessio, ipsa tripartita indicat historia: nec desunt mihi, si referre velim cognita recentia exempla: habent enim sacerdotes, monachi, fraterculi, moniales, & quas vocant sorores, specialem lenociniorum prærogatiuam, quū illis religionis prætextu liberum sit quocunque peruolare, & quibuscunque quantum & quotieslibet sub specie visitationis, & consolationis, aut confessionis, secreto sine testibus loqui, tam pie personata sunt illorum Lenocinia: & sunt ex illis quibus pecuniam tetigisse piaculum

est,& nihil illos mouent verba Pauli dicentis:Bonum est mulierem non tangere, quas illi non raro impudicis contrectant manibus,& clanculum cõfluunt ad lupanaria,stuprant sacras virgines,viciant viduas:& hospitum suorũ adulterantes vxores,nonnunquam etiam quod ego scio & vidi Iliaci prædonis instar abducunt, & Platonica lege compopularibus suis communes prostituunt: & quarum animas lucrari debent deo,illarum corpora sacrificant diabolo:aliaq; his multo scelestiora,& quæ nephas est eloqui insana libidine perpetrant,interim castitatis voto abunde satisfacientes,si libidinem,si luxuriam,si fornicationem,si adulteria,si incestum uerbis acerrime incessent detestenturq;,& de virtute locuti clunes agitent.Sed & flagitiosissimi lenones,sceleratissimæq; lenæ sæpe sub illis religionum pellibus delitescunt:Tales habent aulicæ dominæ plærumq; sacrorum suorũ mystas, & aulicarum nuptiarum scortationũq; consultores:Iam vero etiam lenocinijs militant leges atq; canones cum in potentum fauorem proiniquis nuptijs pugnant,& iusta matrimonia dirimunt;sacerdotesq; sublatis honestis nuptijs turpiter scortari compellunt,malueruntque illi legislatores sacerdotes suos cum infamia habere concubinas,q̃ cum honesta fama vxores,forte quia ex concubinis prouentus illis est amplior.De quo legimus gloriatum in conuiuio quendam episcopũ, habere se vndecim millia sacerdotum concubinariorum,qui in singulos annos illi aureum pendant: Extabat olim Romæ in templo Veneris duabus tabulis exculptum senatusconsultum,& lex futuaria scortatoribus & lenonibus admodum fauorabilis,quam apud Petrum Crinitum in hæc ue

ba latam legimus: In prima tabula continebant iura visundi, consectandi, susurrandi, gestiūdi, subtrudendi, salutandi, confabulandi, precandi, perpetuo interdiu futuarijs permissa ex me sunto: ex æde, foramine, horto, postico, inpluuio, cuncta hęc commoda nemo homini prohibento: fidem, consilia ferunto, seruanto, auxilium operamue danto: In altera tabula erat, sub noctu vota tractanto, percussa iuramenta, lamenta admiscento, solicitāto, verecundiam timoremq; amouento: tristitiam supprimunto, tempori locoue obsecundanto, occasioni ne vnq; cedunto, internuntias epistolas succidunto: ijs spem, voluntatem, expectationem, necessitatem, misericordiam adlectanto, inferunto: fraude, vi, dolo, ostentatione attemperate vtūtor: prudentiam, fatuitatem habento, tenento, gestanto: ex pathica quicq; sempiternę quasi stipem & pignus capiunto: eius permissu aduehunto, nouam quærunto, astu pompaue grandianimem nobilem insectantor: notas conjecturas tacitus nouanto.

Erat etiam Lycurgo lata lex, si quis ætate prouectior, ac nuptijs intempestiuior puellulam primæ pubis duxisset, huic integrum esset ex adolescentibus aliquem diligere, qui Venere potentior præcurrens feracem vterum generoso semine impleret, modo ipsum quod natum esset mariti asserere tur. Erat & Solonis lex quæ similiter permittebat vxoribus, si mariti in rem Veneream ignauiores essent, ex necessarijs unum aliquē sibi despicere, q cum colluctarentur, nec idcirco alienum dici quod nasceretur: Mitto quot sunt & cognoscuntur mulieres in hunc diem etiam ex nobilioribus, quæ quotannis externo semine grauidænates filios maritis supponunt, rursusque post partum rede

unt ad alternam adulterorum satietatem, nequi-
res M. Agrippæ Iulia, quæ nisi plena naui vecto-
rem non recipiebat: Atq; surrexit his temporibus
ex theologorũ schola inuictus hæreticus, qui has
Lycurgi & Solonis leges assereret licere etiam in
ecclesia, Martinus Lutherus: quod vos ideo scire
volo ne putetis nõ etiam theologos esse lenones:
Ipsa siquidem sacra bibliorum eloquia (si fas est
dicere) lenociniorum stratagemata habent, vt in
socru Ruth, & in Ionadab, quem vocat scriptura
virum prudentem, atq; in Achitophel potenti cõ
siliario manifestum est. Quin & Abrahã cum es-
set illi vxor Sara pulchra & iuuenis & peregrina
rẽtur apud Aegyptios, ait illi: Noui q; pulchra sis
mulier, & cum viderint te Aegyptii, dicent: vxor
illius est, & interficient me, & te reseruabunt: dic
ergo obsecro quod soror mea sis, vt bene sit mihi
propter te, & viuet anima mea ob gratiam tui,
& ita tandem sublata est Sara in domum Phara
onis, & Abraham bene vsi sunt propter illam: Eo
dem stratagemate apud regem Palæstinorũ A-
bimelech vsus est, vtriscq; regibus sed diuersis tem
poribus coniugem suam ad concubitum vsq; per
mittens: fecit idem Abrahæ filius Isaac, atq; ita
etiam sanctorum exemplis, ars lenociniorum illu
strata est: Proinde a dijs, a heroibus, a legislato
ribus, a philosophis, a sapientissimis viris & theo
logis, a principibus, ipsisque religionis capitibus
culta & cohonestata: Lenones fuerunt Pan deus
atq; Mercurius, ipseq; puer Cupido: leno fuit he-
ros ille Vlysses, leno fuit legislator Lycurgus, &
sapiens ille Solon, qui primus lupanaria ædifica-
uit, & meretriculas iuuentuti prostituit. Sed & re

centioribus temporibus Sixtus pontifex maximus Romæ nobile admodum lupanar extruxit: leno fuit imperator ille Heliogabalus, qui domi suæ meretricum cohortes aluit, amicisq; & seruis exhibuit: Iam vero etiam reginarum cæterarũq; principum & dominarum nonnunquam id curæ est, atque regum matres nonnunquam filiorum suorum lenæ sunt: neq; præterea optimates magistratusq; id officiũ abhorrent, quippe lenones olim fuerunt Corinthiũ, Ephesiũ, Abideni, Cypriũ, Babyloniũ, et multi aliũ magistratus, qui in ciuitatibus suis lupanaria construunt fouẽtq;, nonnihil ex meretricio quęstu etiam aerario suo accumulãtes emolumenti: quod quidem in Italia non rarũ est, vbi etiam Romana scorta in singulas hebdomadas iulium pendent pontifici, qui census annuus nonnunq; viginti millia ducatos excedit: adeoque ecclesiæ proceru id munus est, vt vna cum ecclesiarum prouentibus etiam lenociniorũ numerent mercedem. Sic enim ego illos supputantes aliquando audiui: habet (inquientes) ille duo beneficia, vnum curatum aureorum viginti, alterum prioratum ducatorum quadraginta: & tres putanas in Burdello, quæ reddunt singulis hebdomadibus iulios viginti. Iam vero nihilominus lenones sunt episcopi illi & officiales, qui censum pro concubinatu a sacerdotibus quotannis exigunt, idq; tam palam, vt apud plebem ipsam in prouerbium abierit illa eorum concubinaria exactio siue lenocinium, quo dicunt: habeat vel nõ habeat, aureũ soluet pro concubina, & habeat si velit. Sed in regno auariciæ nihil turpitudini adscribitur, quod lucrũ pariat. Mitto tolerãtię cõmẽtum, quo certa pecunia episcopis soluta, abientis

mariti uxor, prꝫter adulterij (ut dicunt) offensam, alteri cohabitare permittitur: quę omnia tam manifesta sunt atꝙ frequentia, vt nescire cogamur, episcoporum ne impudentia, an plebis patientia hactenus fuerit ineptior: vt tandē opus fuerit Germaniæ principibus, inter cætera nationis illius grauamina, hæc quoque deferre: ex quibus quæ hic silentio premuntur, elicere poteritis. Eiusmodi itaꝙ patronos habet ars lenonia, quicꝙ tueantur artem meretriciam, cui in hunc vsꝙ diem prohdolor in Christiana republica locus est, & in ciuitatibus publica theatra, immunitates, & stipēdia concessa sunt, vnica illa contra diuinas leges atꝙ ipsum dei verbum humana ratiuncula siue potius lenonio commento militante, qua inquiunt, vt iuuentus egesto illic libidinis impetu, peiora conari desistat. Tolle (aiūt) e republica meretrices, cūcta stupris, incestis, adulterijs permiscentur: nulla matrona integra remanebit, nulla vidua pudicitia incolumis persistet, vix virgines ac vestales inuiolatæ seruabuntur: hinc tandem impossibile esse concludunt, reipublicę tranquillitatem sine meretricibus posse consistere: sine quibus tamen populus Israel olim per tot secula continentissime durauit, sicut præcepit illis deus: non erit meretrix neque scortator in filijs Israel: atꝙ præterea hæc spurscies olim etiam sub religionis specie ecclesiam insiliit, ac Nicolaitarum hęresim propagauit, qui obuitandam zelotypiam vxores prostituebant, ac ueluti Platonica lege cōmunes habendas docebāt. Quicunꝙ autem principes, iudices & magistratus lupanaria fouēt, siue quouis modo permittūt, etiam licet ipsi non scortentur, dicetur eis a dño q̄d ait Psalmista: Si videbas furem currebas cū eo, et

cum adulteris portionem tuam ponebas: hæc fecisti & tacui, existimasti inique quod ero tui similis, sed arguam te, & statuam contra faciē tuam.

De mendicitate Caput LXV.

PErtinet ad rempublicam simul atque religionem, etiam pauperum & ægrotantium rationem habere, ne quis delinquat propter paupertatem, & furetur, aut mendicando circumiens contagiosæ pestis calamitate ciues inficiat, aut fame pereat, in opprobrium humanitatis: quapropter pauperum xenodochia publico ære, insigni pietate, pluribus in locis instituta sunt, & priuatis diuitum eleemosynis indies locupletata. Publice enim mendicare & circumire ciuitates, ab initio semper vbiq; gentium omnibus legibus prohibitum fuit. Nam in veteri lege Iudæis a Mose præceptum est, omnino egenus & mendicus nō sit inter vos. In lege etiam Romana de validis mendicantibus, arcte statuit Iustinianus imperator, vt si quis laborare potens eleemosynis se immisceat captiuandus sit, & in seruitutem redigendus. In lege autem euangelica præcepit Christus quod superest dandū pauperibus, vt nullus mendicus neque egenus in plebe remaneat, sed fiat æqualitas, sicut scribit Paulus Corinthijs, inquiens: Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplemētum, & fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multū habuit non abundauit, & qui modicum, non minorauit. Et ad Ephesios scribens ait: Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Idem & Thessalonicensibus iubet laborare manibus, & operam dare vt

abundent, tanquam decretum illis statuens, vt q̃ nolit operari non manducet, secus autem agentibus communionem fidelium præcipiens subtrahẽ dam: atq; in epistola ad Timotheum condemnat eos qui mendicitatis quæstum arbitrantur pietatem. Ipsa etiam canonica pontificum decreta, solis illis pauperibus erogandas eleemosynas decernunt, qui laborare non possunt, quoscunq; alios illas accipientes, inter prædones, fures, latrones, & sacrilegos connumerant: ijs itaq; autoribus docemur, non tam paupertati condolendum, q̃ mendicitatem ipsam detestandam. Artes vero quas pro explendo mendicitatis quæstu excogitarunt, ab omnibus execrandæ sunt, dum malunt ante temploꝝ fores in humanæ naturæ iniuriã, & contra diuinam legem letale frigus, dentium stridores vrentes æstus, ingentesq; cruciatus, vt vix mortẽ ipsam excludant, spontanee perpeti: q̃ in xenodochijs pauperum stipe contenti degere, & malis suis mederi. Quodque magis execrandum est, inter hæc malorum tormenta insuper blasphemi, maledici, contumelioſi, temulenti, deierantes, nonnunquam autem simulate orantes, sacra oĩa aut negligentes, aut contemnentes, ne Chr̃m qdem vlla veneratione colentes, vt spectantibus non Chr̃i martyꝝ præse ferant imaginem, sed infernalium manium damnatorumq; repsentent cruciatus.

Est aliud mendicãtium sceleſtiſſimum genus minime miserandum, eoꝝ videlicet, qui viſco, farina, cruore, tabe, super incrustatis vulneribus & superinductis stigmatibus, sese totos vlceroſos canceroſosq; pingunt: alij alijs confictis morbis, varijs præstigijs, spectantibus se miserabiles mentiũtur. Sunt alij qui votorum & peregrinationũ p̃te

xtu prouincias obambulãt, laborem ex induſtria fugientes, otioſa paupertate oſtiatim mendicantes: atq; ñ interim ne cum regibus quidem vitã ſuam commutare velint, modo illis liberꝫ eſt quo libet & velint vagari, quodcunq; collibitum eſt facere bello & pace, vbiq; tuti ab exactionibus, a publicis oneribus, a ſeruitutibus, a cenſuris ciuilibus, vndique & vbiq; liberi, nec pro fraudibus dolis, impoſturis, furtis, iniurijs in ius vocati, et velut dijs ſacri ab omnibus inoffenſi: atq; tamẽ ex illorum ordine non minima naſcitur pernicies, ingentiaq; prodeunt facinora, dum prætextu mendicitatis ciuitatum & prouinciarum explorant ſecreta, dũ fraudibus & dolis exercitati hoſtiles deferunt referuntq; tabellas, ad oĩm proditionũ genera inſtructi. Ab ijs nonnunq̃ incenſæ vrbes, q̃d proximis annis ipſa Gallia atq; vrbs Tritenſis experta eſt: nonnunquam ab ijs corruptæ aq̃, infectæ fruges, venenata pabula, & ſeminata peſte ingens hoĩm ſtrages facta eſt. His adnumerandæ ſunt gẽtes illæ quas Cynganos vocant.

Quas aliena iuuant, proprijs habitare moleſtum,
Faſtidit patrium non niſi noſſe ſolum.

Hi enim ex regione inter Aegyptum & Aethiopiam oriundi de genere Cus filij Cam filij Noe, adhuc vſque progenitoris maledictionem luunt, per vniuerſum orbem vagantes, extra ciuitates in agris, in triuijs, tentoria erigentes, latrocinijs, & furtis, deceptionibus, & permutationibus, atque ex chiromantica diuinatiõe oblectãtes homines, ijs fraudibus victum mendicãt. Volaterranus hos Vxios eſſe putat Perſidis populos ſecutus Scilacem, qui Conſtantinopolitanam ſcripſit hiſtoriam. Hic enim dicit Michas-

lem Traulum imperatorem ex vaticinio Vxiorum adeptum fuisse imperium, quæ secta per Mesiam atq; Europam sparsa, passim omnibus futura prędicebat. Polydorus Assyrios atq; Cilices affirmat. Iam vero hæc validæ mēdicitatis lues, non inter prophanos modo & extremæ fecis vilissimos nebulones hospitatur, sed etiam in religionem, in monachorum & sacerdotum vsq; ordinē conscendit. Hinc ille fratrum monachorum, cæterorumq; quæstuariorum sectæ natæ sunt e quorū numero sunt, qui malefica religionis specie, diuorum (vt aiunt) reliquias circunferentes, aut insidiosa sanctitate pietatem præ se ferentes, cum multis confictorum miraculorum appēdicibus, diuorum iras comminantes, indulgentias & dispensationes pollicentes, eleemosynarum prætextu venantur diuitias: atq; prouincias peragrantes, ab incautis rusticis, ac credulis mulierculis superstitiose attonitis, ouem, agnum, hœdum, vitulum, porcum, pernas, vinum, oleum, butyrum, triticū, legumina, lac, caseos, oua, gallinas, lanam, linū, etiam pecunias corradentes, vniuersam regionē deprædantur, ac onusti opimis spolijs, domum redeunt: vbi a suis magno omniū applausu accipiuntur collaudanturq;, & simplici plebi pijsq; mulierculis tam religiose imposuerunt, putantq; per huiusmodi mendicitatis artes, insignesq; fraudū versutias, sese deo atq; sanctis gratissima offerre sacrificia, quoties ad istum modum onusti præda magno populi dispendio ac reipublicæ detrimento, sui familitij satellites saginent otiosos, ipsa misericordiæ opera quorum prætexu tanta donaria illis conferuntur penitus post habentes, negligentes, & contemnentes. Lusit olim istorum fabulā

Apuleius in suo asino de sacerdotibus deæ Syriæ. Accedunt istis multæ admodum ex fratrum mẽdicantium atq; beguardorum (vt vocant) numero, qui postergata professionum suarum sanctimonia, quæstum cum pietate commutarunt, ac si nõ in aliud religionem professi sint, q̃ vt sub paupertatis titulo liceat illis impudenti mendicitate quocunq; peruolare, & perfricata fronte, importuna hypocrisi vndiq; pecunias corradere, nullius quę stus pudere, ac insigni sycophantia in choro, in foro, in templis, in scholis, in aulis, in pallatijs, in publicis & priuatis colloquijs, in confessionibus, in disputationibus, in cõcionibus, e subsellijs, e cathedris, e pulpitis, e suggestis impudẽtiæ suæ arcibus, spargere in vulgus, indulgentiarum merces vendere, sua benefacta emetiri, ceremonias: et a mercatoribus, vsurarijs, & a nobilibus prædonibus, male partorum prædam extorquere, & a crassis ciuibus, ac indocta plebecula, superstitiosisq; aniculis emungere nũmos, ac serpentis exemplo stultas mulierculas primum allicere, & per illas sibi aditum parare ad fallẽdos viros, qui cum affecta vestium vilitate ostentant paupertatem, & vociferando prædicant spernendam pecuniam, fugiendam ambitionem, ipsi nihil magis curant, q̃ vt plurimum pecuniæ possideant: atq; ob id causæ mare & aridam circumeunt, omnium domos & tabernas penetrãt, nec sacra nisi pro mercede ministrant, eleemosynasq; tyrannice tanq̃ tributum postulant, omnium negotijs se miscent, compingunt matrimonia male cohærentia, interuertunt testamenta, cõponunt lites, reformant sacras virgines, sed omnia hæc non nisi suo compendio: hæ sunt artes fratricæ, quibus plærisq; illorum in

tantam excreuerunt autoritatem, vt timori sint ipsis pontificibus & monarchis, diuitiasq; plusq; mercatorum opes ac principum thesauros congesserint, & multis aureorum millibus mitras & capella mercati sint, summumq; pontificatum ingentibus pecunijs ambierint: Tanta potest religiosa illa mendicitas: Cumq; ingentes possiderant pecunias, plericq; interim se veram paupertatem, & plusquam euangelicā perfectionem præstare ostentaut, si hanc nudis digitis non contrectant, sed habeāt suum ludam, qui illorum gerat loculos & rationes reddat: Interea dicere ausi sicut Petrus & Ioannes, argentum & aurum non est mecum. Quod si hic non mentirentur, & fidelis sit sermo illorum, haberent etiam ius dicendi: surge & ambula: & cum beato patre Francisco a pecunijs pariter & vitijs nudato imperarēt creaturis & obedirent, aquam in vinū conuerterēt, flumina siccis pedibus transirent, rabidos lupos mansuetos redderent, hirundinum garritum solo iussu compescerent, falconem veluti gallum excitatorem redderent, igni præciperēt, & multa eius generis, quæ sanctus ille vir miracula fecit, peragerent: sed non faciunt hæc omnes, qui dicunt: domine, domine: & velut Stoicę simiæ exterius duntaxat Christi & Francisci insignia & vestes gerunt, voluntatem autem et testamentum illorum non obseruant. Scripserunt contra istos quondam Richardus episcopus Armachanus, & Malleolus præpositus Tigurinus, & Ioannes episcopus Camotensis, & plærique alij commeminerunt: Quorū scripta tolerabiliora forent, si non adeo religiosam hanc mendicitatem, sed illius abusum duntaxat damnassent, verū de his modo satis sit, vt

ad vlteriora progrediamur.

De œconomia in genere. Caput LXVI.

SVb reipublicæ administratione continetur etiam œconomia, quæ est domestica quædã respublica, & non nisi monarchia quædam priuata: sed eius species plures sunt: Nam quædã regia, siue aulica: alia satrapica, siue castrẽsis: rursus alia publica, seu cõmunitatis, siue conuentualis, siue sodalitia: alia denique priuata, seu monastica: Hæc itaq; docet quomodo vxor, filij, affines familia, serui regendi sunt: quomodo tuenda ampliandaq; domus ac possessio, vnde sumptus corradendi: Præterea quicquid est astutiæ de prouentibus, moneta, portorijs, vectigalibus, decimis, vsuris, fœnoribus, monopolijs, et quicquid est cõparandi lucri & vectigalis nouarum artium & inuentionum. Insuper quoque de sodalitijs, fœderibus, litibus, & bello, quæ omnia cum nec modum habeant nec regulam, idcirco anomala dicuntur. Quo circa œconomia nec vere ars neque scientia dici potest, sed quædam ex hominum opinione, vsu, consuetudine, prudentia seu etiam astutia, constans domestica disciplina: ad quam sellularia opificia & artes mechanicæ omnes referuntur, quæ in lino, lana, ligno, ferro, ære, metallisq; varijs consistunt: seruiles quoque obsecundationes, tonsorum, balneatorum, cauponum, & multiplices victus acquirendi, & rem priuatam amplificandi formæ, quæ nec ad præsidendi pertinent autoritatem, nec reipublicæ regimini vsq; quaq; conducunt, nihil diuinũ, nihil liberale, nihil heroicum speculantes, quorũ tantæ sunt, vt nume

tari nequeant, & hæ omnes quidem seruiles sunt: pleræq; etiam sunt cognatis quibusdam vitijs infames, sicut aurigæ: nautæ, caupones loquacitatis vitio infames habentur, quia fabulis gaudent & rumores spargunt: similiter & tonsores & balneatores, & pastores: nam hos Midæ fabula, & Syllæ Athenas obsidentis historia: illos vero Batti fabella infames fecerunt: sic etiam cantores, & tibicines, & citharœdi homines mercenarij, q in conuiuijs in aliorum oblectamentum musica instrumenta sonant infames sunt: sed nautarum vita oim cum infelicissima, tum pessima, quor habitatio instar carceris est, victus asperrimus idē & immundissimus, indumenta spurca, & rerū omnium incōmoditas, perpetuū exilium, semper vagi, profugi, nescij quietis, semper vētorū rabie, incertis vndis iactati, æstus, frigoris, imbriū, fulgurum, famis, sitis, squaloris semper obnoxij: Accedunt ad hęc Scyllę, Charybdes, Syrtes, Simplegades, tot infesta maris pericula: præterea tempestates, quibus nihil est tristius & horribilius, & cum his omnibus pluribusq; alijs malis continuum vitæ discrimen: cūq; nautæ hominum omnium sint infelicissimi, sunt simul omnium mortalium scelestissimi. Sed inter tam multas mechanicas artes, mercatura, agricultura, militia, medicina, causidica, potiores partes tenent, de quibus inferius per ordinem dicemus: sed prius generalia œconomiæ fundamenta discutiamus.

De œconomia priuata.

Caput LXVII.

PRiuatæ œconomiæ vis tota in coniugio est, vnde Metellus Numidicus censor, cū populum Romanum ad matrimonia capessenda

adhortaretur, Si sine vxore possemus Quiriteseſſe (inquit) omnes, ea moleſtia careremus: ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis cõmode, nec ſine illis vllo modo viui poſſit, ſaluti perpetuæ potius quam breui voluptati conſulendum eſt: hæc ita narrat Aulus Gellius, neq; enim ſine vxore vlla domus aut res domeſtica ſtare & durare poteſt, nam ſine vxore nec extendi progenies, nec vocari hæres, nec appellari hæreditas, nec eſſe propinqui, nec familia, nec paterfamilias dici poteſt: Qui vxorem non habet, domum non habet, quia domum non figit: et ſi habet, moratur in ea vt peregrinus in diuerſorio: qui vxorem non habet, etiã ſi locupletiſſimus ſit, nihil fere habet q̃d ſuum ſit, quia non habet cui poſſit relinquere, nec cui confidere, omnia ſua patent inſidijs, furantur illum ſerui, defraudant ſocij, contemnunt vicini, negligunt amici, inſidiantur propinqui, filios ſi q̃s habet extra coniugium, ſunt ſibi ignominiæ, neq; nomen familiæ, neq; auorum imagines, neq; opes ſuas vetantibus legibus illis relinquere poteſt: ipſe que ſimul ab omnibus publicis muneribus & honoribus legiſlatorum omnium conſenſu propulſus eſt: neq; enim dignus eſt regere ciuitatem qui domum regere non didicit: nec gubernare rempublicam, qui rem priuatam & familiarem nunq̃ cognouit, quæ eſt illius veriſſimum exemplar & imago. Nouerant hoc Græci, qui cum Philippus Macedo diſſidentes eos pacare ſtuderet, et Leontinus Gorgias de Græcorum concordia librũ recitaſſet in Olympia, vtrunq; reſpuentes irriſerunt, q̃ alios concordare ſtuderent, qui domi ſuæ nullam concordiam ſtabilire poſſent. Erant enim Philippo domi diſſidentes filius & vxor, Cor-

giæ autem vxor & ancilla: quorum ergo præsum pta prudentia & autoritas domesticas rixas seda re non poterat, nec illos exteriores discordias sapi enter posse componere putabant. Qui igitur ciui tati & reipublicæ præficitur, nisi seipsum & do mum suam remque priuatam regere sciat, is plane inauspicato præficitur. Denique hic vnicus vitæ status est, in quo homo in diligēda vxore, e ducandis liberis, & regenda familia, tuendis re bus, gubernando domicilio, propaganda proge nie, vitam omnium ducere potest felicissimam: in qua si quid cadat oneris & laboris (cadunt aūt p multa, neq; vero vita vlla sua cruce caret) certe hoc vnicum illud onus leue & suaue iugum est, qđ in coniugio est, si modo tales sint coniuges, quos non auaritia, non fastus, non dolus, nō fraus, nō in sana libido, sed deus ipse coniunxerit, vt relinquat homo patrem, & matrem, & filios, & fratres, & affines, & adhæreat vxori suæ, cuius amor oīm ium aliorum dilectionem superare debet. Sic Hector videns excidendum Ilium, non parentum, nō fratrum, non suīpsius solicitudine angitur, quan tum charæ coniugis. Sic enim ait apud Home rum:

Haud eqdem dubito qn concidet Ilium ingens,
Et Priamus Priamiq; ruet plebs armipotentis,
Sed mihi nec populi nec charæ cura parentis,
Nec Priami regis tantum præcordia rodit,
Nec germanorum, quanuis multiq; probiq;
Ense sub hostili vitas in puluere ponent,
Quam me cura tui coniunx chariſſima vexat.

Fateor peruersas nuptias multas comitari angu stias & mala multa, cuiusmodi quondam recen suit Socrates, perpetuam solicitudinem, excruci-

antem zelotypiam, contextum querelarum exprobrationem dotis, graue affinium supercilium, alieni matrimonij subcensuras, varios sumptus, incertos liberorum euentus, nonnunquam orbitates, interitum generis, hæres alienus, & dolores innumeri: adde nullam vxoris electionem, sed quæ lis cunq; euenerit habenda, si iucunda, si stulta, si peruersis moribus, si superba, si sordida, si deformis, si impudica, quodcunq; vitij est post nuptias discitur, vix aut nunquam emendatur. Sunt peruersarum nuptiarū non modica exempla: Marcus Cato Censorius ætate sua Romanæ reipublicæ facile princeps, & qui bello & pace parem vix habebat, cum iā senex Salomi cuiusdam viri inopis & obscuri filiam adolescētulam duxisset vxorem, illa sese contumaciter gerente, domi suæ omni autoritate carebat. Tiberius cū Iuliā Augusti filiam manifestis adulterijs infamē haberet vxorē, eamq; nec castigare, nec deferre, nec repudiare, nec retinere auderet, Rhodū secedere non sine famæ ignominia vitæq; periculo coactus est. M. Antonius philosophus Antonij pij filia Faustina in vxorē accepta, adulteram illam, ne de dote & imperio in certamen veniret, retinere coactus est. Verum omnia hæc incommoda non tam vxorū quam maritorum culpa proueniunt, nullis em̄ nisi malis maritis vxor contingere solet improba. De his ita philosophatus est Varro apud Gellium in quens: Vxoris vitium aut tollendum aut ferendū est: qui enim tollit, hanc sibi commodiorem præstat: qui fert, ipse sese meliorem reddit. De his in declamatione nostra de sacramento matrimonij latius locuti sumus. Iam vero & filiorū educatio nō omnibus recte cedit, quorum plurimi male

audientes, vel rebelles parentibus, alij eisdem etiam infesti, alijs insani & vecordes contingunt: alijs hebetes & crassi, alij per vitiorum omnium præcipitia vitam agunt & patrimonia luxu, libidine, & alea euertunt: alij parricidæ, quales Alemeon & Orestes & P. Malleolus, qui matrem occiderunt. Ipse etiam Artaxerxes Mnemon, suscepti centum & quindecim liberis, magnam eorum partem illi insidias parantem de medio sustulit. Quocirca non inscite Euripedes ait: & noster Bernardus assumpsit bonum esse, incognitum carere liberis. Ipse etiam Augustus felicissimus imperator, propter filiam & neptem sæpe Homericum illum versiculum exclamare coactus est:

Coniuge non ducta natis vtinam caruissem.

De seruis etiam ait Euripides: domi nullus maior inimicus, neq; peior, neq; inutilior, seruo. Et Democritus inquit, Seruus necessaria possessio, non autē dulcis. Et Petrarcha alicubi scripsit, Sciebam me cum canibus viuere, verum venatorem esse nisi admonitus nesciebam. Serui vocantur canes, sunt mordaces, sunt gulosi, sunt latratores. Plautus in Pseudolo naturas eorum ijs verbis exprimit. Plagigera hominum genera, quorum haud quicquā in mentem venit vt recte faciant: at cum est occasio data, tene, clude, rape: hoc est eorum opus, vt mauelis lupos apud oues relinquere, quam hos domi custodes. Et Lucianus in Palinuro ait, seruorum in dominos semper prompta maledicta, furta, impositiones, fuga, arrogantia, negligentia, temulentia, edacitas, somnolentia, tarditas, ignauia. Hinc iactatum illud prouerbium, Totidem domi hostes habemus, quot seruos. Sed nos illos sæpe non tam habemus hostes, quam facimus, cum

in illos superbi, auari, contumeliosi, & crudeles sumus, & domi induimus animos tyrannorum, & non quantum decet, sed quantum lubet exercere volumus in seruos: de ijs ita loquitur Strophilus seruus apud Plautum in Aulularia:

Inique domini seruis vtuntur suis,
Et serui inique dominis nūc parent suis.
Sic fit neutrobi, quod fieri iustum foret:
Pœnum, popinas, cellas promptuarias
Occludunt mille clauibus parci senes,
Quæ vix legitimis concedi natis volunt,
Serui furaces, versipelles, callidi,
Occlusa sibi mille clauibus reserant,
Furtimq; raptant, consumunt, liguriunt,
Centena nunq̄ furta dicturi cruce.
Sic seruitutem vlciscuntur serui mali,
Risu, iocisq;, sic ergo concludo quod
Seruos fideles liberalitas facit.

Multæ respublicæ olim a seruis ingētia mala perpessæ sunt, testantur id seruilia bella a multis historicis descripta: sed Volsinensiū vrbs opulenta diuitijs, ornata moribus & legibus, olim seruorum insolentiæ miserabile spectaculum præbuit: quæ vbi cum seruis laxis frenis familiarius egisset non nunq̄ etiam consilijs admisissent, tandem senatorum admodum pauci ordinem intrare ausi, mox vniuersam rempublicam occupauerunt, testamēta ad arbitrium suum scribi iusserunt, cōuiuia cœtusq; ingenuorum fieri vetabant, ducebant filias dominorum, postremo lege sanxerunt, vt stupra sua in viduis pariter atq; in nuptis impunita essent, ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non ante aliquis de numero ipsorum delibasset: sic opulentissima vrbs, & quæ caput Cariæ habebatur, ob nimiam in seruos indulgenti-

tem clementiamq́, in profundum iniuriarū et tur
pitudinis decidit: Sublata seruorum enim disciplī
na (vt inquit Aristoteles in Politicis orationibus)
domini in insidias veniunt, sicut Hilotæ in Lace
dæmonios, & Prænestæ in Thessalos fecerunt.

De œconomia regia siue aulica Caput LXVIII.

SVpereſt vt regiam œconomiam, hoc eſt, au
licā breuiter explicemus: Eſt igitur reuera au
la nil aliud quam collegium gygantum, hoc
eſt. nobilium famoſorumq́ nebulonum conuen
tus, theatrumq́, peſſimorū ſatellitum, morumq́
corruptiſſimorum ſchola, & execrabilium ſcele
rum aſylum: vbi ſuperbia, faſtus, tumor, rapaci
tas, libido, luxus, liuor, ira, crapula, violentia, im
pietas, malitia, perfidia, dolus, malignitas, crudeli
tas, & quæcunq́ vſpiam ſunt vitia, moreſq́ cor
ruptiſſimi, habitant, imperant, atq́ regnant: vbi
ſtupra, raptus, adulteria, fornicationes principū
et nobilium ludi ſunt: ibi etiam principum regūq́
matres nonnunq̄ filiorum lenæ ſunt: ibi ſcelerum
omnium procellæ, virtutumq́ omnium inenarra
bile naufragium: probus quiſq́ illic opprimitur,
peſſimus quiſq́ prouehitur, ſimplices irridentur:
iuſti perſequuntur, audaces & impudentes erigū
tur. Soli illic proſperantur adulatores, ſuſurrones,
detractores, renuntiatores, calumniatores, ſyco
phantæ, pſeudoli, famicidæ, ſupplantatores, inuē
tores malorum, cæteriq́ tempeſtatum populi, qui
bus peruerſiſſima quæq́ facinora in profeſſo ſunt
quorum vita omnis turpiſſima, quicquid vſpiam
eſt teterrimarum beluarum peruerſitatis, tota hęc
& omnis in aulicum gregem, quaſi in vnum cor

pus confluxisse videtur: illic ferocitas leonis, sæuitia tigridis, truculentia ursi, temeritas apri, superbia equi, rapacitas lupi, obstinatio vituli, fraudulentia vulpis, versutia chamæleontis: varietas pardi, mordacitas canis, desperatio elephantis, vindicta cameli, timiditas leporis, petulantia hirci, immunditia suis, fatuitas pecudis, stoliditas asini, scurrilitas simiæ. Ibi furentes Centauri, ibi pernicioſæ Chimeræ, ibi insanientes Satyri: ibi fœdæ Harpyiæ, ibi improbæ Sirenes, Scylla que biformes: Ibi horrendi struthiones: ibi voraces griphi, auidiq; dracones, & quicquid fatalium monstrorum infelicis q; portenti vspiam stupet coacta natura: illic habitat atq; visitur: ibi omne virtutum genus suos patitur carnifices atq; tyrãnos: In summa aut nequitiæ, malitiæ, impietati insistendum, aut aula cedendum: Non impune licet nisi cum fatis exeat aula, qui vult esse pius. Nullum ciuitatibus exitialius malum contingere potest quã potentis Principis aula hæc, vbi mouetur tanq; cometes malorum omnium prænuntia, ac veluti contagiosissima pestis, quocunq; applicat pernicioſissimam cladem secum fert, vndecunq; migrat: insanabilia veluti eorum quos rabidus canis momorderit, relinquit veneni sui vestigia: Comitatur illam perpetua rerum caritas, dum quisque ex ea lucrum captare nititur, exaucto rerum pretio, quod nunq; postea remitti potest magno detrimento: Comitatur & luxus cibariorum quo introductis peregrinis epulis populus ipse patrios cibos fastidire incipit, passimq; popinæ & gulę indulgens, res suas turpiter absumit: Comitatur & fastus, quem dũ ciues mulieresq; imitari conantur, & singulæ domus dispositionis suæ formulam

habitumq; inde mutuantur: Omnia sua in vestes & pompam profundunt, sequitur corruptio morum introductis pessimis vitijs, pernicioſiſſimũ malum, Iam vero recedens e ciuitate aula, heu, q̃ fœdam caudam post se relinquit, hi adulteratas comperiũt vxores, illi stupratas, & vel abductas in scorta filias, alij supplantatos filios, alij corruptos seruos & ancillas, quid multa? sit luctus ingens, totaq; ciuitatis facies immutata facta est, sicut facies meretricis: Scio ego famosam Galliarum vrbem ea causa sic peruersam, vt vix aliqua ibi matrona pudica sit, vix filię nubant virgines, quin & Palatinum scortum fuisse summi honoris est, & seniores matronæ iuniorum lenæ sunt, eaq; turpido sic inualuit, vt nullus verecũdiæ locus sit, vix maritis ipsis vxorum meretricatus curæ est, modo vt ait Abrahã ad Saram, bene sit illis proterrillas, viuantq; laute ob gratiam illarum.

De nobilibus aulicis Caput LXIX.

AVlicus populus duplex est: Priores partes tenent satrapæ, nobiles inquam illi Trasones qui fastu, luxu, & pompa insaniunt, indutí purpura et byſſo, & opere plumario, vestibus deauratis, & circundatis varietate, quibus Scorta placent, fracti curuiq; e corpore gressus: Et laxi crines, & tot noua nomina vestis.

Hi vires omnes in Venerem frangunt, tum illorũ ingenioſa gula est & gustus, per omnia culrũ quæ sunt, epulantur splendide, dant & accipiunt conuiuia. Inter hos laudi plærũq; ducitur, si illustri cõuiuio sic sua prodigãt semel, vt trimestri toto imprudenter mensas circumeant alienas: Ad istos vndiq; cõfluunt citharœdi tibicines, & omne genus musicorũ: mimi, histriones, paralitæ, meretri-

ces, lenones, saltatores, venatores & huiusmodi prodigia hominum, aluntur q; canes, equi, lupi cer uarij, accipitres, cæteræ q; armatæ aues, simiæ & phittaci, & si qua mõstra sunt ac naturæ probra: vrsi, leones, leopardi, trigides, colloquia eorũ meræ nugæ, & otiosæ fabulæ, obtrectant, deferunt, effutiunt, mentiuntur, aut veris falsa commiscent, hi de canibus, de venatibus, de syluæ ambitu, de ambage lustro q;, de venationũ euentibus, multa fabulantur: illi de equis, de militia, & fortiter absse factis multa mentiunt, si adest q inuideat æmulus, aliorum sermones obstrepẽdo discutiet, alias inferendo nugas, & quæ sibi putet laudẽ gignere, sua insolẽter narrabit facinora, hunc alius sæpe de mendacio conuincit, & varijs scommatibus explodit, vnde totũ tunc conuiuij colloquiũ frequenter in iram & cõtumeliam desinit, & veluti in centauro q; conuiuijs Bacchi munera non cessant, donec eliciãt sanguinẽ: Ita & in istorum aulicor q; cõuiuijs sæpe hospites redeunt cum cicatricibus, ac si hoc dicto inuitati videantur.

Quod superest læti bene gestis corpora rebus,
Procurate viri, & pugnam sperare parati.

Proinde vero summa istorum disciplina est obseruare tempora principum, ne quid intẽpestiue illis ingerant, eaq; nõ ab astris, a cœlis, ab ephimeridibus captant, sed a vino, a prandio, a cõuiuio, ave natione, ab accubitu, dum exhilaratus est princeps, & voluptatis alicuius cõpos, & quos alios molles aditus, & tempora norunt, tunc nouitatũ rumusculos primum aspergunt, quibus principis aures titillant, deinde paulatim ad ea quæ cupiũt procedunt, inscriptum a natura sua habentes. Aristotelis ad Calisthenem discipulum consilium,

hortantis: vt cum rege aut nunq; aut iucundissime loqueretur, quo scilicet apud regias aures, vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior: Quod si tunc cuiuis illorum princeps aut rex arriserit, & ad id quod loquitur annuat, si gratum quid quod dixerit aut fecerit, si illi quid credideris, si illum cõ fabulatorẽ secum secreto abduxerit, atq; alijs non ita profecto magnus tunc erit ille in oculis hominum iamq; omnia audebit, mordebit omnes, ridebit omnes, floccipendet omnes, detrahet clanculum, reprehendet palam, loquetur grandia, nihil non audebit, quo metuant eum omnes: conculcabit inferiores, cõtemnet pares, superiores dedignabitur, honorem & adorationem exiget, etiam per contumeliam, totus tumet, & effertur, & potentiam adfectat:

Libertas scelerum est virtus, & summa potestas, quisq; illi non arridit nõ applaudit etiam cũ male fecerit ilico reus est: nã aut fortunæ eius inuidere, aut officio eius non deferre iudicabitur: neq; is tunc solum paribus inferioribusq; infesti sunt, sed & principibus ipsis suis sæpe pernicioſissimi, quibus sæuerit atis, prudentiæ, correptionis, & cõsilio rum imagine perditissime adulantur: & in nefanda scelera sæpissime impellunt: quemadmodum apud Lucanum

Curio instigat Cæsarem.

Quid tam lenta tua stenuit potentia vires
Conquerimur: deerat ne tibi fiducia nostri?
Dum manet hic calidus spirãtia, corpora sanguis
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiere togam regnumq; senatus?

Similes Alexander Magnus habuit instigatores, qui illum suapte natura insanientem magis ma-

gisq; in bella & cædes incenderent. Tales habuit & Roboam Salomonis filius consultores, tales habent & nostri seculi principes, qui morem gerentes illorum cupiditatibus, illis ad omne scelus parent hortanturq; aut sic dissuadent, vt fortius impellant, dum rationes suas tam futiles & infirmas opponunt: vt sic se conuictos passi credulos principum confirment errorem: vtrobiq; sic decipientes, ut non possint argui, sed de proditionis perfidia insuper gratiam mereant: tales hodie habet Gallorum rex Franciscus ad mala consilia nimium promptos, qui illum contra Cæsarem in oem perfidiam ac tyrannidem libenter impellerent, atq; ij interim optimi habentur atq; fideles. Hæc de nobilibus aulicis hactenus, quorum qui vnum offenderit omnium cæterorum reus est.

De plebeis aulicis. Cap. LXX.

Vnt adhuc quidã plebei aulici homines improbi animi, qui nulli in vita præsse sciunt, sed ipsi subiectione continua gaudent, ij circumeunt nobilium domos, illisq; parasitantur, mensis viuentes alienis. Et bona summa putant aliena uiuere quadra: omnibus idcirco obsequuntur, omnibus adulantur, omnibus parasitantur, & omnibus omnia fieri student, plures q̃ Protheus species mentientes, atque in plures formas sese vertentes, quo potẽtiorum fauorem sibi conciliẽt, conuiuarum sermones explorare student, vt habeant quod renuncient: diffidẽtium aũt secretis rumusculis vulpina astutia inquirunt, eosdemque nunc ad amicos, nunc ad inimicos perferunt: vtrisque se gratos præbentes, dum sunt vtrisque perfidi: eoq; magis proditionibus idonei, quo ob imaginem sim-

plicitatis minus habeantur ſuſpecti, quumq; nullum facinus ſceleratius habeatur q̄ proditio, nullum tamen ad diuitias & dignitates in aula comparandas vtilius ac compēdioſius, ipſiſq; aulicis, etiam regibus acceptum gratumq; magis, adhęrent itaq; nobilium liminibus, & ſcire volunt ſecreta domus atq; inde timeri. Quod ſi ſemel fuerit turpitudinis aut proditionis alicuius cōſcij, iā euaſerunt, iā caput extulerunt, nam: Charus erit Verri qui Verrē tempore quouis accuſare poteſt. Iam familiaritas immo neceſſitudo quædā nobiliorū contracta eſt, qua freti ad ea quæ deſiderant facile accedunt: Primū itaq; quærunt vt in matricula aulicorum inſcribantur, idq; illis vel ſine ſtipendio ſatis eſt, ſiquidē ſola inſcriptio etiam abſq; ſalario quæſtuoſa eſt, & ſuam prædam habent: deinde potentes quoſcunq; captare nō diffidunt, quos tunc ſolicitant blanditijs, inſtant obſequijs, & ſe muneribus ingerunt ratiōe cōſortij, aut alia qua uis arte, & quęcūq; ab alijs aut periculorū metu, aut laborū intolerātia, aut lucri penuria relinquūtur, iſti auidiſſime quærunt, vigilāt dies & noctes peregrinantur, & ſuſceptas ferunt referuntq; legationes & literas, labores immenſos adgrediūtur & perferūt, & audēt quid breuibus Gyaris et carcere dignū, donec ijs meritis aut ſcrinijs præficiantur, aut conſignandi ſuſcipiant officiū, aut ærarij cuſtodiā obtineant, aut cenſus varia raciocinia illis cōmittantur. Iāq; egreſſi labor, anguſtias, nullū obſequiū eorū amplius gratuitū eſt, ſed omnia deinceps ad pretiū venalia habēt: & cū nouo honore, mutatis moribus, oīm quę retro ſūt obliti in anteriora pēdentes, priora ſua cōtemnunt, vlteriora concupiſcunt, auaritiaq; cōtracti ad prædam

strepitumq; lucri omnia vertunt, fide parci, verborum prodigi, blandi pariter & insidiosi, sermone obscuri, & oraculorum instar ambigui, quicquid vident, quicquid audiunt, quicquid dicitur, quicquid agitur, coniectant omnia in peiorē partem, sibi soli fidunt, se solos amant, sibi soli sapiūt nullius fidei aut amicitiæ credunt, sodalitatē nullam nisi lucri causa colunt, commodum propriū omnibus præferunt, amicos, hospites, propinquos, socios, quicunq; lucrum non adferunt, tanquam steriles arbores despiciūt: pristinos sodales si qs eorum occurrat, prætereunt, quasi ne norint quidem si quis illorum implorat opem, hunc verbis & promissis abunde pascunt, plusq; promittunt quam præstant, si nihil attulerit auxilio destituunt, & vel causa spoliant, gratiam omnem venalem habent, virtutem omnem contemnunt, aliorumque laudes diuersis sententijs frangunt, & post terga artificiose cuilibet detrahunt, ipsi neminem sine exceptione laudant: quem admodum orator ille Iulium fortunatum (aiebat) fateor virum fortem & quem constat strenue egisse quam plurima, q̄ tamen pacto iudicium repetundarū apud iudices iustos euaserit, mirarer quidem si vis eloquij eius mihi esset incognita. Et alius:

Felix & nato felix et coniunge Protheus:
Et cui si demas iugulati crimina Phoci Omnia cō tigerant. Præterea aulicis muneribus vulturum instar, semper inhiant, vndecunq; venantur prædā, eamq; quibus possunt, veluti Phineo obsonium, vel ipsis e faucibus Harpyiarum instar præripiunt. Aemulorum calamitatibus gaudent, nullius malo compatiūntur, nulli promissa se debere putāt, nisi pro sua libidine, nulli gratiam referūt, sed

omnes pariter aut beneficio indignos iudicãt, aut negligentia prætereunt, nõnullos odio compẽsant, sed in odio gratiam fingunt & dissimulant irã præter principem aut regem nullum alium obseruãt, aut verentur, sed ne hos quidem, nisi aut metu, aut pro compendio. Cumq; iam ad canos vsq; in proditionibus, in fraudibus, in æruminis et laboribus ꝙsati, anxijs his sordibus ingentes opes, sublimesq; honores corrípuerunt, tunc fasq; nefasq; cõfundunt, vt filios non tam honoris q̃ rapinæ simul & inquitatis relinquant hæredes.

Sic serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta,
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Sic leporem aut capreã famulæ Iouis & generosæ
In saltu venantur aues, tunc præda cubili
Ponitur, inde autem cum se matura leuabit
Progenies, stimulante fame festinat ad illam,
Quam primo rupto prædam gustauerit ouo.

Atq; hæ sunt plebeiorꝝ aulicorꝝ artes, quibus multi ex infima hominum fece ad amplissima munera, quæsturas, dignitatesq; conscendunt, proximamq; apud principes & reges suos autoritatẽ adepti, diuitias principibus pares cõflant, regiaq; extruunt palatia: dum interim nobiliores illi aulici sua omnia in scorta, in aleas, in venationes, in equitia, in conuiuia, in pompas, in vestes, in fastũ profundũt, terras, castra, possessiones, patrimonia decoquentes: quæ tunc plebei isti emunt, in nobilium locum his suis scelestissimis artibus succedentes.

De mulieribus aulicis. Cap. LXXI.

DE MVLIER. AVLICIS

HAbent & aulicæ mulieres sua vitia, omnino enim non paucas videmus corporis dotibus & forma elegantia spectandas, scitulas & nitidas & venustas: Insuper vestimētis purpureis & aureis, & gemmeis monilibus exornatas, sed nō omnibus est cernere quam turpissima monstra sub formosis illis pellibus sæpe latitent: Hinc aptissime Lucianus illas Aegyptijs tēplis comparat: illic enim ipsum delubrum forinsecus pulcherrimum est, simul atque maximum sumptuosis lapidibus extructum atque compositum: cæterum si intus deum requisieris, aut simiam inuenies, aut ciconiam, aut hircum, aut felem: Ita est de illis aulicis puellis atque dominabus, quæ a prima ætate, a teneris annis, in molli otio, salutationibus, & omni luxu enutritæ, pessimisque disciplinis ex aulicis illis amorum libris, prauissimisq; luxus, libidinum, adulteriorum, fornicationum, lenociniorum historijs, comœdijs, nouellis facetijs, cantilenis imbutæ, veluti ex nutrice pernicioſissimos mores suxerunt, leuitatem, insolentiā, arrogantiam, morositatem, impudentiam, obscœnitatem, contentionem, contradictionem, pertinatiam, vltionem, astum, vafriciem, petulantiam loquacitatem, procacitatem, & turpem concupiscentiā: habent linguas quibus silentiū pœna est, habēt labia ad omnem loquacitatem armata, quibus sermones producunt otiosissimos ineptissimosq;, & non raro ijs qui audire coguntur molestos: quid enim illas in tam multas horas inter se loqui putabimus, nisi stulta & otiosa? puta quomodo componenda coma, quomodo pectenda, quomodo tingendi capilli, quomodo fricanda facies, qualiter cōplicāda vestis, q̄ pōpa incedendū, assurgendū,

decumbendum, quibus, quo vestitu, fas sit incedere: quæ quibus loco cedere debeãt, quot inclinationibus salutare, quæ ad quorum oscula venire, fas aut nefas sit, quæ asino, quæ equo, quæ sella, q̃ curru, quæ lectica vehi debeant, quæ aurum, quæ gemmas, quæ corollia, quæ torques, quæ inaures quæ armillas, quæ annulos, quæ monilia ferre possint, cætera q̃ Semiramidarum legum nugamenta. nec desunt seniores matronæ quæ narrent a q̃t procis olim adamatæ, quibus muneribus dignatæ, quibus blanditijs ambitæ, hæc de ea loquitur quem amat, altera ægre silet de illo quem odit, & quæuis putat se cum aliarum admiratione dicere, nonnunquam intempestiuis dicterijs, aut impudentissimis mendacijs sermonem infulciunt: Nec desunt inter illas intensissima odia, & acerrima iurgia, calumniæ, detractiones, sycophantiæ, & quæcunq; sunt malæ linguæ vitia: habent ocellos, habent vultus, habent risus plena illecebris habent nutus, habent gestus plenos lasciuia, habent astus, habent verba quibus decipiendos procos solicitant, & munuscula extorquent, si illisa nulus est, si gemma, si monile, si catenula, quicqd id est subtrahunt blanditijs, aut extorquent precibus, redduntq; pro illis basia, suauia, oscula, amplexus, contractus, confabulationes, quæ illis publica merx & aulici amoris alimenta sunt. Pudet referre quæ secreta intra cubile probra sæpe gerantur, consecrato Hymenæo naturæ contumelia quæ cum vestem induerunt omnia contexisse & occuluisse existimant, tales itaque qua fide et integritate postea erga maritos putabimus futuras vxores? O quanto dolore afficiunt bonos coniuges, dum genus, dum dotem, dum formam, dum

aliena matrimonia illis continuo obijciunt, et iur
gijs ac contumelijs obtundunt viros, conquerun-
tur semper, dum domesticam & frugalem men-
sam spernunt, & aulicum luxum viris exprobrāt,
ac delitijs & pompa assuetæ ornamentorum am
bitione exhauriunt illorum opes, labefactant do-
mos, nonnunquam ad turpes & malos quæstus
miseros maritos impellunt, quibus dies noctes-
que insidiantur mille fraudibus, simulatione, pro-
ditione, hypocrisi. Taceo externos amores, occul
ta adulteria, suppositicios partus, et alienos semine
concepras proles: quæ si semel ad odium vertantur,
zelotypiam parabūt aut venena. Familiares enim
(vt ait Heronymus contra Iouinianum) malæ
fœminarū artes sunt, doli, fraudes, veneficia, ma
la medicamenta, & magicæ vanitates. Sic Liuia
virum suum interfecit, quem nimis odit. Lucilia
suum peremit zelotypia, illa sponte miscuit aco-
nitum, hæc improba furorem pro amoris poculo
propinauit. Adeo tutius est, quod ait Ecclesiasti-
cus, commorari leoni & draconi, quam cum mu
liere nequam. Quisquis morigeram cupit habere
vxorem, ne ducat talem aulicam. Quæcunq; mu
lier velit probum habere maritum, ne nubat auli
co. Sed iam nimium progressus est cum lingua ser
mo, dixi tamen, & iam non dixisse non pos-
sum. Cæterum autem ponam manum meam
super os meum, & ijs alia non addam, quia de au
la modo egredientes reliquas œconomiæ partes,
& quas diximus mechanicarum potiores disci-
plinas, mercaturam, agriculturam, militiam, &
reliquas examinemus.

De mercatura. Cap. LXXII.

MErcatura ipsa quidem latentium lucrorum astutissima indagatrix, manifestæ p̄ dę auidissima vorago, nunquam habendi fructu felix semper autem quærendi cupiditate miserrima: hanc tamen non modico reipublicæ auxilio esse, & ad externorum regum populorum que amicitias contrahendas accommodam, atq; etiam priuatæ hominum vitæ perutilem, ac quodammodo necessariam plęriq; arbitrati sunt: qn & Plinius illam victus causa inuentam putat, q̄ circa etiam multi illustres simul ac sapientes viri hanc exercere non sunt aspernati, cuiusmodi (teste Plutarcho) fuere Thales, Solon, Hippocrates: verum sicuti quascunq; scientias, & artes alias propter voluptatem admittimus, alias propter laborem æstimamus, alias propter virtutem honestatemq; sectamur, alias propter veritatem iusticiāque veneramur: non tamen omnes illæ quamuis necessariæ, lucrosæ, iucundæ, laboriosæ, idcirco statim honestæ laudabilesq; ac iustæ sunt. Sic et mercatorū, institorum, fœneratorū, trapesitarum, collynstarum exercitia necessaria, vtilia, & laboriosa sunt, tñ illiberales, sordidi, & improbi quæstus vocantur, quia illorum operosæ fraudes nō artes venduntur emunturq;, quod quidem (vt ait Cicero) non apti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non boni viri, sed versuti, obscuri, astuti, fallacis, & callidi officiū est. Mercatores enim omnes & institores hic emunt vt alibi carius, & supra sortem vendant: atq; ille melior qui lucratur magis quibus passim peculiare est mentiri, peierare, fraudare & imponere, nec vlla illis lucrandi ratio turpis: quin & legibus id sibi licere dicunt decipere secum contrahentes ad dimidium iusti pretij: nec

dubium esse potest, cum omnis eorum vita ad q̃stum, ad lucrum, ad diuitias adornata sit, illos eã rundem occasione turpia plurima, & dignas sup plicio fraudes committere: nulli enim sine fraude ditescunt. & vt ait Augustinus, lucrum habere non poterit, nisi fraudem fecerit: Et plenius æquo, Laudet venales quas vult extrudere merces. Et alius Poeta canit.

Periurata suo postponit numina lucro
Mercator stygijs non nisi dignus aquis.

Hinc emit ille, vendit alter: hic portat, ille asportat: hic creditor, ille debitor: hic soluit, ille recipit: alter rationes scribit: oẽs aut peierant, fraudant: fallunt, nec animæ, nec corporis, nec fortunæ vilĩ periculum excludunt: mõ lucrꝝ sperent, nec cognationes, nec affinitates, nec amicitias vlla fide nisi sola vtilitate colunt: sicꝙ oẽs per omnem ætatem post lucrum, post diuitias currunt, ac si alibi laborum requies vitęꝙ solatium nequeat inueniri.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes:

At vero cuiusmodi fraudes committant mercatores in lana, in lino: in serico, in panno: in purpura, in gemmis: in aromatibus, in cæra: in oleo, in vino, in frumento, in equis, in animalibus. Denique in omnium mercium genere, nemo est qui nesciat qui non videat, qui non palpitet, nisi qui forte illorum damna non senserit. Atꝙ hæc minora mala sunt, longe his maiora supersunt. Ipsi sunt qui inuectis damnosis mercibus & quæ ob raritatem, vel delicias a mulieribus & pueris appetunt̃, & q̃ adnullã vitę faciũt necessitatẽ, sed dũtaxat ad luxũ, ad pompam, ad fucũ, ad ludum, ad mollitiem, ad voluptatem ab ipsis vsque terrę finibus,

veluti laqueos importantes. Prouincias ac regna quotannis immensa spoliant pecunia, corrumpũt bonos mores, introductis peregrinis vitijs: ac sublato patrio ritu, semper nouis & externis rebus studentes, eam perditissimis implicant consuetudinibus. Ipsi sunt q̃ initijs sodalitijs, contra ius, fas & leges monopolia exercent, omnia tentantes, excogitantes, explorantes, quibus multitudinis opes ad se contrahant, dum collectis pecunijs alios vincunt, alios præueniunt, alios exaucto rerum pretio deterrent, ac soli emunt omnia, quæ deinceps pro suo libito soli vendunt quam maximi: Ipsi non raro ingenti ære alieno consarcinato, constituto alibi domicilio, inde vero prostituta fide, verso solo, profugi, & sero aut nunquam redeuntes, creditores fraudant, & ad desperationem, aclaqueum adigunt. Ipsi sunt qui chirographis & obligationibus implicant & expilant ciues, debitorumque radices adeo profundas, laboriosas, funebres, & ineuitabiles plantantes, vt euelli nequeant: sed in gyrum pullulantes, & ex debitis debita germinantes, ciuitates suffocant & euertunt: Ipsi interim fœnori & vsuris incessanter dediti, totius plæbis substantiam deuorant: ipsi nonnunquam numismata præcidunt, semper autem monetæ valorem vtcunq; suo lucro conducere visum est, nunc intendunt nunc remittunt, non absque totius reipublicæ detrimento: Ipsi explorata principum secreta, ciuitatumq; consilia, & patrios rumores, hostibus renunciant: nonnunquam etiam pacta mercede principum vitæ insidiantur, ac nihil nõ pecuniæ studio attentantes, facientes, patientes, venale habentes: omne eorum institutum non nisi mendacia, fuci, sermonum nebulę, explorationes,

insidiæ, fraudes deceptionesq; manifestæ: Hinc Carthaginenses mercatoribus distincta statuerũt diuersoria, nec ea illis cum ciuibus volebant esse communia: cæterum patebat illis in forum via: ad naualia autem & secretiora vrbis loca, ne aspectus quidem concedebatur: Græci autem nequaq; intra vrbes recipiebant, sed quo ciues a periculi suspitione essent immunes, a pomerijs non longe forum venalium statuebãt. Plærecq; aliæ gẽtes, mercatores ad se accedere prohibuerũt, q; mores deprauarent. Epidauri (teste Plutarcho) cum ciues suos Illyricorum commercijs improbos fieri animaduerterent, veriti a peregrinorum contagione, corruptis ciuium suorum moribus, res nouas ciuitati suæ excitari, vnum in primis grauem & circunspectum ex omni ciuiũ multitudine virum, in singulos annos eligebãt, qui ad Illyrios accederet, & quæ quisq; suorum mandasset mercaretur atq; contraheret. Vituperat mercatores Plato, quod optimos inquinent mores, & apud bene constitutam rempublicam lege cauendum censet ne externarum gentium deliciæ, in vrbem cõportẽtur: ac ne quis a ciuibus minor quadraginta annis peregere proficiscatur: exteri autẽ ad suos remittantur, eo quod istiusmodi peregrinorum contagijs, ciues veterem patrũ parsimoniã, priscosq; mores dediscant, & odisse incipiant: ex quo vno vrbes plærunq; redduntur detertimæ, omnigq; forniciationũ, adulteriorũ, luxus, & libidinum genere inquinatissimæ: cuiusmodi Lugdunũ & Antuuerpia famatissima hodie mercatorũ emporia de se exempla præbent. Ipse etiam Aristoteles iubet omnino curam habendã, ne quid ciuitates ad uentitiorum admixtione vitientur: mercatores au

rem, etsi sunt necessarij, non tamen in ciuium nu-
mero recipiendos: quos ideo etiam detestatur ma
xime, q̄ gaudeant mendacijs, & in ciuitatibus fo
ra vexāt, tumultus excitant, seruntq̄ discordias:
Quin apud plerasq̄ respublicas antiqua lex erat
ne quis mercator magistratum gereret, nec in se-
natum, nec in consilium admitteretur. Porro mer-
catura a theologicis sentētijs plane damnata est
& a canonicis decretis, autoribus Gregorio, Chry
sostomo, Augustino, Cassiodoro, Leone, omnibus
vere Christianis interdicta: nam vt ait Chrysosto
mus, mercator deo placere non potest: nullus ergo
Christianus sit mercator, aut si esse velit proijcia
tur ab ecclesia: Augustinus quoq̄ mercatores pa-
riter ac milites ait veram pœnitentiā agere non
posse.

De quæstura.
Caput LXXIII.

MErcatoribus nō multo meliores sunt quæ
stores, furax quoddam hominum genus,
et vt plurimum seruile ac mercenarium,
aut quod sub stipe operā locarit, rude ac ignauū,
sed audax & impudens: nec nisi tenuia quædam
artificia, qualia par est tales homines nosse di di-
cit, scribendi videlicet & supputādi, maxime au-
tem furandi formulas, haud inscitas, ingenioso-
resq̄ q̄ quæ in vulgares cōpetant latrones: ideoq̄
omnium qui viuunt hominum furacissimi sunt,
& a solis digitis quibus talenta & milliones sup-
putant opulēti, quos a deo viscosos habent, ac infi
nitis vncis hamis sic imbutos, vt pecunia omnis
quantumcunq̄ leuis, fugax, labilis, anguillarum
& serpentum instar lubrica, ab his contacta illi-
co hæreat, neq̄ facile queat auelli: hoc ipso tamē

minus mali sunt, cum q̄ non nisi regum principū que ac potentum ærariis insidiantur: tūquæ inde suffurantur, in scorta, in aleas, conuiuia, ædificia, atq̄ alendis parasitis, histrionibus, equis, canibus non illibenter expendunt. Aut seniores prudentioresq̄ facti, non raro filios nobis tales relinquunt, qui quæ isti multis ex periuriis, rapinis, furtis, flagitiis paulatim & minutatim corraserunt, conuiuando, scortando, venando, aucupando, vestiendo: & ne quic q̄ ad explendas voluptates omittēdo, rursus in multa fragmenta dissecantes simul omnia infeliciter profundant. Cæterum vero & quæstores ipsi fœnus accipiūt, & dona extorquēt, procrastinando debita compilant, cū capitaneis colludunt, falsum supputant, chirographa adulterant, & literas efficti sigillis resignant: numismati nonnihil detrahunt, nōnunq̄ fucato metallo vitiant: ideoq̄ alchimistis plurimum amici sunt, artisq̄ illius vt plurimum sectatores, aut si desit ingenium saltem fautores sunt: Verum cum dicat Cicero mercaturam ipsam si magna sit & copiosa, multa vndiq̄ apportans, et sine vanitate importans, non esse admodum vituperandam: Mercatores autem et quæstores tunc posse optimo iure laudari, si aliquando satiati quęstu, tandem ad colendos agros possessionesq̄ se contulerint: Ideo q̄ de Agricultura quid sentiendum sit, hic subiungemus.

De agricultura
Caput LXXIIII.

AGricultura itaq̄ cui & pastio annexa est, & piscatio atq̄ venatio tanto apud priscos in honore fuit, vt ne Romanos iperatores, potētissimosq̄ reges, et duces puduerit agros colere

semina tractare, arbores inserere. Ad hanc se contulit depositio imperio Diocletianus, & dimissæ regni administratione Attalus: Cyrus quoq; magnus ille Persarum rex gloriari plurimum solebat cum venientibus ad se amicis hortum ostenderet suis manibus confertum, & arbores sua manu in ordinem positas: Sed & Seneca plantauit platanos, sua manu piscinas effodit, aquas diduxit, nec alibi lubentius erat q̃ in agris: hinc illa nobilissimarum familiarum cognomenta Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, Pisonum, a multitudine videlicet horum leguminum.

Amplify de hac in post 3ª partæ.

De pastura Caput LXXV.

SImili ratione a pecorum pastionibus Iunij, Bubulci, Statilij, Tauri, Pomponij, Vituli, et Vitellij, Portij, Catones, & Annij, Capræ orta sunt. Pastores fuerunt Romulus & Remus Romanæ vrbis conditores, e pastoribus ad imperiũ assumptus fuit Diocletianus Pastor fuit ipse Romanæ potentiæ tremendus Spartacus. Pastores erant Paris & pater Aeneæ Anchises, & a Venere dilectus formosus Endimion. Polyphemus etiã & centum oculorum Argus. Ex ipsis denicq; diis Apollo Admeti Thessaliæ regis armenta pauit, & Mercurius fistulæ inuentor pastorum princeps fuit, atq; eius filius Daphnis, Pan quoq; pastorũ deus & Protheus pastor atq; deus: atq; (vt Hebræorum patriarchas, iudices ac reges aliquos recenseam) maximi inter eos viri et deo gratissimi pastores fuerunt, sicut Abel iustus, Abraham pater multarum gentium, & Iacob pater populi electi. Item Moses legislator & propheta deo familiaris, ac Dauid rex secundum cor domini electus:

quin etiam apud veteres græcos, illustrissimus quisq; pastor erat. Hinc alios Polyarnas, alios Polymelas, alios Polybutas appellarunt: videlicet a multitudine agnorum, ouium, et boum nomina illis imponentes. Sic etiam Italiam a vitulis nuncupatam (quos antiqui Græci italos vocabant) nemo ignorat. Atqui vterq; Bosphorus Cimmerius & Thracius, atq; Aegæum mare, & Argos, Hippion nõne a bouis transitu, a capris, ab equis dicta sunt? Et numidia Aphricæ prouincia a pascuis hoc nomen habet. Prima post Adæ lapsum hominum in terris vita fuit pastorica, hæc nobis præter pecudum carnes varias, etiam lac, caseũ, butyrum, in cibum, ac pro vestitu lanam, pelles, & coria, omnia profecto humanæ vitæ cum necessaria, tum vtilissima, largitur, quæ omnia sed post casum homini concessa sunt, cum antea ýs solis quæ a terra sponte prodibant fructibns, deus illum in paradiso vesci iusserat.

¶ De piscatione Caput LXXVI

Accedunt ad hæc piscatio atq; venatio: Piscationis studium apud Romanos tanto in precio & celebritate habitũ est, vt peregrinos & Italis littoribus ignotos pisces e lõgin quis prouinciýs aduectos nauibus, in mari Italico tanq; in terra fruges seminarent, arbitrãtes nõ modicam in his reipublicæ vtilitatem versari: Præterea piscinas et viuaria pretiosissimis piscibus referta magnis sumptibus instruxerũt, e quibus demum plærisq; Romani principes familiæq; agnomina traxere, vt Licinij, Murenæ, Sergij, Oratæ: Hinc & Cicero Lucium Philippum atque Hortensium piscinarios appellauit, videlicet a piscinis, Legimus & diuum Octauianum Augustum

hamo piscari solitum, & Neronem (scribit Sueto nius) piscatum rete aurato, e purpura & cocco ne xis funibus. Modi autem piscationum non admo dum multi, nam retibus hamo, nassa, iaculis, ra- stro, veneno, quot quot sunt pisces capiuntur. Ve rum piscatio eo minus laudis habet, quo pisces du ri alimenti, ne stomacho quidem vtiles, nec de- oblationibus accepti sunt: nemo enim vaq̃ piscē in sacrificijs immolatum esse audiuit.

¶ De venatica & aucupio Caput LXXVII.

SImilibus quoq; quibus piscatio, ingenijs con stant venatio & aucupiū, additis insuper vi- ribus corporis & indagine, varijsq; laqueo rum, pedicarum, decipularumq; ingenijs: adhibi tis etiam, visco, aquilis, accipitre, canibus, ac lu- po ceruario, & plærisq; alijs mansuetis feris, rapi næ, venationiq; aptis: Ars profecto detestabilis, studium vanū, certamen infelix, tantis laboribus & vigilijs de nocte ad noctem pugnare & sæuire in bestias: Ars crudelis & tota tragica, cuius vo- luptas est in morte & sanguine, quam ipsa refuge re deberet humanitas. Hæc ab initio seculi semp pessimorū hominū peccatorūq; præcipuū exerci tium fuit, nam Cain, Lamech, Nimbrotū, Ismae- lem, Esaū, robustos venatores sacræ literæ prodi- derunt, nec vllos in vetere lege venaticā exercui- se legimus, nisi Ismaelitas, Idumæos, & gētes quæ non cognouerunt deum. A venatione tyrannidi initium fuit, quia cōmodiorem non reperit autorē q̃ eum qui in cæde & carnificio fera- & volu ta- bro sanguinis deū naturāq; cōtemnere didicisset: hanc tamen Persarum reges tanquam veriſſi-

mam rerum bellicarum meditationem coluerũt, quia habet in se venatica bellicum qddam & truculentum, dum rapacibus canibus obiecta fera, effuso sanguine, laniatis visceribus, voluptatẽ p̃stat, acerbissimamq; mortem tanquã iocum summa cum voluptate spectat: interim ridetque crudelis venator, prostratamq; canum exercitu, aut laqueorum fraude, infelicem prædam, triumphantis instar magna comitatus caterua domum reducit, ubi tunc feralis instruitur carnificina, solennique chironomia, præscriptisq; vocabulis (neque em aliter phas est) belua laniatur: insignis profecto venatorum stultitia, insigne bellum, cui dum nimium insistunt, ipsi abiecta humanitate, feræ efficiuntur, morumq; prodigiosa peruersitate tanquam Actæon mutantur in naturas beluarum: In tantã quoq; plurimi illorũ prorupere insaniam, ut hostes naturæ fierent, quemadmodũ de Dardano narrant fabulæ. Inuentores tam infelicis artificij extitisse narrantur Thebani, gens fraude, furtis, periurijs insignis, parricidijs & incestibus detestenda: a quibus eius exercitij præcepta ad Phrygios transmissa sunt, gentem æque impudicam, sed stultam atque leuem, quos idcirco contempserunt Athenienses, & Lacedæmonij populi grauiores: Postea vero quam Athenienses interdictæ venationis legem soluissent, artemque cum exercitio publice admittentes in rempublicam suam introduxissent, tunc primum Athenę captæ sunt: hinc miror venationem a Platone ipso Academiarum principe cõmendatã, nisi forte ęq euentus aut propositi honestas necessitasue hanc cõmendant non voluptas: quemadmodũ aprum Calidoniæ vastatorem confixerit Meleager, non voluptati suæ,

sed utilitati reipublicę, patriã absuastatrice belua liberans. Et Romulus venabatur ceruos, non voluptatis causa, sed necessitate alẽdi se et socios.

Est & aliud venandi exercitium quod aucupium dicunt, minoris quidem crudelitatis, sed non minoris vanitatis, hinc aucupes dicti, qui videlicet aut aues venantur, aut per aues ludentes (quemadmodum ait Batuch propheta) in auibus cœli. Autorem illius ferunt Vlyssem, quem primum post captum Ilium armatas edoctasq; in uenationẽ aues Græciam intulisse narrant, vt videlicet essent nouæ voluptatis solatia, his qui amissis parentibus Troiani belli damna sentirent: tamen filium Telemachum ab hac viuere iussit expertem: Tandẽ hæc exercitia, in se re vera seruilia & mechanica, eousq; euecta sunt, vt positis quibusq; liberalibus studijs, hodie prima nobilitatis elementa sint atq; progressus, illis ducibus ad summum nobilitatis gradum perueniatur: hodieq; ipsa regum & principum vita, ipsa etiam, proh dolor, abbatum, episcoporum, cæterorumq; ecclesiæ præfectorum religio, tota in q̃ venatio est: in qua se potissimum experiuntur, virtutemq; suam ostendunt:

Spumantemq; dari pecora inter inertia votis
Optãt aprũ, aut fuluũ descendere monte leonem:

Et quos decet esse exempla patientię, quotidie q̃runt habere quod vincant & venentur: & quę natura libera sunt animantia, & decernente iure occupantium fiunt, nobilium tyrannides sibi temerarijs interdictis vsurparit: a noualibus suis arcentur agricolæ, subtrahuntur prædia rusticis, agri colonis, præcludunt syluæ & prata pastoribus, vt augeantur pascua feris in sagimen & delicias nobilium, quos solos has edere licet: de quibus si co-

lonus quispiam gustarit, aut agricola, is maiestatis reus factus, simul cum beluis illis fit præda venatori. Scrutemur scripturas, certe in sacris literis, etiam in gentium historijs, nullum sanctum, nullum sapientem, nullum philosophum legimus venatorem, pastores vero plurimos, & aliquos piscatores: & Augustinus hanc artem esse dicit omniū nequissimam, sacraq; Elibitanum & Aurelianense concilia hanc in clero prohibuerūt dānaruntq; in sacrisq; canonibus non modo prohibetur venatoribus ascensus ad sacros ordines, sed etiam summi sacerdotij gradus adimitur iam adeptus. In eisdem legitur, Esau venator erat, quoniam peccator erat: neq; vero vspiam venationis vocabulū scriptura sacra in bonum assumit. Quare venationem ipsam reprobam esse, iam nemini in ambiguo sit, quæ omnium sapientum atq; sanctorū turba exposa est atque damnata. Antiquitus etiam cum in innocentia viuerent homines, nulla illū animantia fugiebant, nulla infesta erant, nulla noxia, omnia illi subdita obedientiam præstabant: cuius exempla etiam posterioribus temporibus in his qui optimam vitam agerent manifesta sunt, quomodo ferarum insidijs superiores extiterunt, sicut Daniel leonibus, & Paulus apostolus viperæ: Heliam prophetam, Paulum, & Antonium eremitas nutriuit coruus, & Egidium cerua: Helenus abbas præcipit onagro, & paruit belua, & sancti viri onera portauauit: præcepit etiam crocodilo, & ab eo flumen transuectus est. Anacharitæ multi habitabant in desertis, & stabant in speluncis & cauernis ferarum, non timentes nec leones, nec ursos, nec serpentes: cum peccato enim animalium noxa simul & persecutio & fuga subintra-

uis, et artes venationum excogitatæ sunt: non eñ (vt Augustinus ait tertio sup Genesim) animalia fuere a principio producta, venenosa, inimica, et molesta humano generi, sed post peccatum infesta inimicaq; cõstituta sunt: quod ex diuina sentẽtia in pœnam iniustę rebellionis primorum parentum factum est, cuiusmodi sententia lata est ad serpentem, dum diceret deus: Ponam inimicitias inẽ te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius, ex hac sententia venationum orta est pugna, hominum scilicet cum cæteris animalibus.

¶ De agricultura residuũ: Cap. LXXVIII.

SEd modo reuertamur: Scripserunt de his iam dictis agriculturæ, pastiõis, piscationis, venationis, aucupij artibus Hiero, Philometer, Attalus et Archelaus reges, Xenophon et Mago duces, et Oppianus poeta, Præterea Cato, Varro, Plinius, Colomella, Vergilius, Crescentius, Palladius et plærique his recentiores. Cicero his nihil melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero hoĩe dignius arbitrat: nõ pauci summũ bonum summãq; beatitudinẽ istic collocarũt: Hinc agricolas fortunatos Vergilius, Horatius beatos vocãt: Hinc delphicũ oraculũ Aglaũ quendã felicissimũ pronunciauit, q in Archadia paruũ prædiũ colẽs, nunq̃ id egressus est, sicq; minima cupidine minimũ in vita mali exptus fuerit. Sed miseri homines tã altũ de agricultura sapiẽtes, ignorãt hãc esse effectũ pcti ac summi dei maledictionẽ, ejiciens eñ hominẽ de paradiso voluptatis, in agros misit, ad pũaricatorẽ Adã sic dicens: Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea oñibus diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in sudore vultus

tui vescēris pane tuo, donec reuertaris in terrā, de q̄ sumptus es. Sed nulli hoc magis sentiūt q̄ agricolæ & villici, q̄ dū arant, seminant, occant, putant, pastinant, messant, metūt, vindemiāt, pascūt tondent, venanē, piscanē post multos labores, hic agris a grandine tempestateque vastatis amittit panem, huic oues moriuntur aut boues, aut a militibus abiguntur, ille perdit ferā, alter piscē, & domi plorat vxor, illachrymantur filij, & tota esurit familia, rursusq̄ spe incerta dubium redeūt in laborem: Ante hanc maledictionē nulla fuisset opus artificiosa telluris cultura, non pastione, nō piscatione, non venatione, non aucupio: nam sponte omnia productura erat terra hybernis æstiuisq̄ fructibus, odoris suauitate, pratorūq̄ vestitu sp florescens: Denicq̄ nil noxium terra progerminasset, nō herbā vllam veneno pestilentē, nullam arborē sterilitatis vitio inutilem, sequestrataq̄ etiam natricum & viperarum cæterarumq̄ reptilium virulentia (autor nobis Beda) ipsæq̄ hō animantium omniū adeptus principatum, ipsis etiam feris vt iumentis pecudibusq̄ onera impositurus, imperasset piscibus maris, aues ad nutū a duo lassent mox q̄ natus homo omniū membrorū vsū exercitiūq̄ consecutus fuisset, ac sine corporis tegumentis, sine tectis, sine conditis obsonijs, sine medicamentis felicissimam vitā egisset, cū sponte sua illi suppeditatura essent (vt ait Poeta ille)

Terra cibum pueris, vestem uapor herba cubile.

Sed peccati noxa: mortisque necessitas omnia nobis infesta fecit, iam non terra quicq̄ citra labores sudoresque producit: quin & letifera, & venenosa (ceu palam nobis quod viuimus exprobrans) generat, nec reliqua elementa nobiscum

mitius agunt, multos mare seuientibus procellis obruit, monstrosæq; beluę absorbent, tonitruis, fulgure, tempestatibus contra nos pugnat aer, & pestilentiarum lue cœlum quoq; in nostrum interitum conspirat: Iamq; etiam animantia ex professo nobis infesta sunt. & ipse etiam homo (vt est in prouerbio) homini lupus est, circunsistunt nos innumeris scelerum illecebris tentantes immundi spiritus, quo nos in suppliciorum tenebrosa conceptacula protrahant, æternis ignibus, ac diris cruciatibus perpetuę cruciandos: Atq; hinc patet, nō nisi optimarum rerum iacturam, malorum inuentionem, ac vitæ incommoda esse agriculturam, cum cæteris illi adhærentibus, pascendi, piscandi, venandiq; exercitijs, quo telluris iufœcunditatem, & victus egestatem, ac ex pellium amictu algorem, quibus mortis fata admonita humanitas, saltem pro tempore effugeremus, vel potius mitigaremus. Haberet autem agricultura hanc necessitatis ceu calamitatis nostræ laudem non modicam, si intra hos mansisset terminos, nec prę tergressa doceret tot prodigiosas plantarum fabricas, tot portentosas arborum insitiones ac metamorphoses. Quin & equos asinis iungere, & canibus lupos, sicq; mulas & lyciscas aliaq; præter naturæ legem monstruosa animalia procreare: Sed & quibus natura, cœlum, maria, terras, libera assignauit, auiarijs, piscinis, viuarijs, & carceribus coercere, etiam exemptis luminibus, mutilatisve membris in ergastulo saginare: Tum in lino, lana, pellibus, bombice, & quæ natura ad hominum vestitum largitur, tot texturarum, infectionum, & similia non nisi ad luxum & fastum artificia, sæpissimę etiam ad hominum pernicię

excogitata. Quod de vno lino conqueritur Plinius tam paruo semine nato, quod nũc planta, mox velum, leuissimo ventorum flatu orbem terrarum vltro citroq; portat, hominesq; ipsos (ac si parum sit in terra etiam perire) cogat in aquis, ac marinis beluis vorari. Prætereo mille agricolarum, pastorum, piscatorum, venatorum, aucupum obseruantiarum decreta, non tam stulta & ridicula, q̃ superstitiosa, & diuinæ legi aduersa: quibus tempestates auertere, sementa fœcundare, noxia quæq; propellere, lupos & feras abigere, fugatia animalia sistere, pisces auesq; manibus præhẽdere, morbos pecudum incarminare se posse autumant: de quibus tum magna credulitate & serioſe scripserunt sapientes illi viri quos supra nominauimus.

De arte militari. Cap. LXXIX

Ediam ab agricolis ad milites trãseamus, quos ex agris delectos aptiores pugnæ ait Vegetius: ex quibus etiam Cato viros fortissimos & milites strenuissimos gigni adserunt. Quin & testibus sacris literis, primus ille pugnator Cai agricola fuit atq; venator: Et Ianus atq; Saturnus pugnacissimi dĩ & antiquissimi, hanc simul cum agricultura vitam in terris egerunt: Ars itaq; militaris minime contemnenda videt, quæ (vt ait Valerius) principatum Italiæ Roma no imperio peperit, multarum vrbium magnorumq; regum, validissimarum gentium regnum largita est: fauces Ponti, marisq; sinus patefecit: Alpium Tauricq; montis conuulsa claustra tradidit: Ipse Africanus Scipio apud Ennium gloriatur, q; per sanguinem hostium atq; cædes viam sibi ad cœlum aperuerit: cui & Cicero adsentit, inquiens, & Herculem eadem via cœlos cõscẽdisse

hanc Lacedæmonij primum tradidisse dicuntur: hinc Hannibal Italiam petiturus Lacedæmonem quæsiuit armorum ducem. Hac duce constituta sunt regna & imperia, illaq; neglecta potentissima quæq; rursus demolita. In manibus enim temerariorum ducum ceciderunt bellicosa Numantia, ornatissima Corinthus, superba Thebæ, docta Athenæ, sancta Hierusalem, ipsaq; Romani Imperij æmula Carthago, tandem etiam potentissima Roma. Hæc ars plurimo, & pluisquã draconis leges, humani generis sanguine scripta, docet pugnæ ordinem eleganter constituere, aciem commode instituere, adoriri hostem, instare, p̃mere, circumuenire, leua dextraq; ferire, ad ducum signa dimicare, proferre gradum, sustinere impetũ, resistere vrgentibus, premere cedentes, ictus incutere, incussos euitare, aut clypeo excipere, ac contemnere, acriusq; in hostem consurgere, inuehi equo, vrgere stimulis, moderare frenis, & omnem in partem circũflectere, ingerere tela, vibrare lanceas, torquere hastas, hostium vultus, latera, terga pro loco & tempore adoriri, nec prius quam desperata victoria de fuga cogitare, fugientes aũt insequi, mactare, capere, exarmare, diripere, profligere, suos reducere, recolligere, exercitum instaurare, & desperata victoria ad spem vindictæ animum succendere, & quæ reliqua sunt militum, ducumq; officia. Instruit quoque de apparandis classibus, extruendis arcibus, muniendis castris, locandis præsidijs, extruendis vallibus, compingendis aggeribus, euacuandis fossis, suffodiendis cuniculis, fabricandis machinis, deligendis armis, oppugnandis mœnibus, comportandis comeatibus confingendis dolis, locandis insidijs, varijsq; scire

vti stratagematibus. Præterea obsidere ciuitates, iacere tela, fremere tormentis, admouere machinas, perfodere muros, concutere turres, occupare mœnia, parare incendia, diruere arces, spoliare tẽpla, diripere vrbes, subuertere oppida, vastare agros, conculcare leges, adulterari matronas, stuprare viduas, rapere virgines, ciues alios vulnerare, alios incarcerare, alios deportare, alios trucidare. Tota denique disciplina hæc non nisi in hominum pernicie occupata, hunc finem quærit, vt famosos orbis euersores, strenuosq; homicidas faciat, trãsformetque homines in ritus ferarum, moresque beluarum: hic bellum nihil aliud est, quam commune multorum homicidium ac latrocinium, nec aliud milites quam stipendiarij, & in republi cæxitium armati latrones. Præterea cum bellorum euentus semper sint incerti, & fortuna non ars largitur victoriam, quid prosunt stratagemata & insidiæ & reliqua artis militaris præcepta? nunquid omnis ars inanis est, vbi fortuna dominatur? Atque nihilominus laudauit hanc diuinus ille Plato, & pueros hanc discere, adultosque statim armatæ militiæ tradi iubet, & Cyrus inclytus ille rex, illam non secus atque agriculturam summe necessariam aiebat: Ipseque Augustinus atque Bernardus catholici in ecclesia doctores hanc alicubi probauerunt, & pontificia decreta illam non improbant, licet CHRISTVS & apostoli longe aliter sentiant. Tandem vel repugnante CHRISTO non infimum in ecclesia gradum obtinuit, obortis tot sacrorum militum sectis & ordinibus, quorum omnis religio in sanguine, in cædibus, in rapinis, & piratica lita est, prætextu defendendæ & ampliandæ fidei:

ac si Christus euangelium suum non prædicatione verbi, sed armis: non confessione cordis & martyrio, sed ostentatione & comminatione armorum, vi bellorum, & hominum cædibus ac strage voluerit inotescere: nec satis est istis militibus in Turcas, in Saracenos, & Paganos arma ferre, nisi etiam contra Christianos pro Christianis classes ducant. Denique bellum & militia multos gignunt episcopos, & non raro pro summo pontificatu pugnatum est, & (vt ait sanctus ille Camoretis episcopus) non sine fratrum sanguine sancta sanctorum ingressus est pontifex: atque hoc tūc vocatut constantia martyrij, si pro cathedra magna Christianorum cæde fortiter fuerit dimicatum. Scripsere sunt de arte milrtari Xenophon, Zenocrates, Onozander, Cato censorius, Cornelius Celsus, Iginius, Vegetius, Frontinus, Helianus, Modestus, et antiquiores multi: ex recentioribus, Volturius, Nicolaus Florentinus, Iacobus comes Purliliarum, & alij pauci. Hi artis doctores, sed speculatiuinō tam periculosi vt sunt practici. Tituli vero ac dignitates discipulorumque gradus non sunt baccalaureatus, magistratus, doctoratus, nec modo etiam sunt quibus dicuntur imperatores, duces, comites, marchiones, equites, capitanei, centuriones decani, signiferi & consimilia nobilitatis nomina ex ambitione, aut iniuria nata: sed latrones, p fossores, raptores, sicarij, fures, sacrilegi, gladiatores, stupratores, lenones scortatores, adulteri, proditores, peculatores, abigei, aleatores, blasphemi venefici, parricidæ, incendiarij, prædones, piratæ, tyranni, & eiusmodi. Quos omnes qui vno nomine velit exprimere dicat milites, hoc est, re vera barbaricas sceleratorum hominum fæces, qs

mala mens, malus animus ad omne facinus extimulat: quos penes dignitatis & libertatis nomen habet licentia delinquendi & latrocinandi, vndique quærentes vt noceant, ipsamq; innocentiam veluti mortis quandam imaginem odientes, omnesque quasi vnum corpus sunt ex patre diabolo, cuius illi sunt membra, de quo ait Iob: Corpus illius quasi scuta fusilia, & compactum squamis se prementibus, vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas, vna alteri cohæret & tenentes se nequaquam separabuntur, assistũt sibi, quia conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Insignia autem militiæ sunt non purpura, torques, annuli, tiaræ: sed aduerso pectore vulnera, & deformata cicatricibus corpora: Exercitium non nisi cum plurimorum exitio doloreq; coniunctum, morum, legum, ac pietatis pernicies: cum Christo, cum beatitudine, cum pace, cum charitate, cum innocentia, cum patientia, ex diametro pugnans, Præmia eius sunt gloria nobilitatis humani sanguinis effusione parta, & iperij propagatio libidine dominandi & possidendi, cum multarum animarum perpetua damnatione. Nam cum omnis belli finis sit victoria, nemo potest esse victor nisi homicida, nemo contra victus nisi male perierit.

Mors igitur militum pessima, malum epitaphiũ sibi inducente peccatum. Qui autem occidunt, iniqui sunt, etiam si iustum sit bellum, non enim propter hoc, sed quia lucri & prædæ gratia militarunt, impij homicidæ in eos quos male occidunt. Si qui autem iuste ab illis perimuntur, ipsi qui occiderũt in carnificiũ ordinẽ seipos statuẽtes nobilitatẽ hãc cõmeruerũt; quũq; leges alioq; i pdones,

incendiarios, raptores, homicidas, sicarios pœnis
fœuiant tales nomine militiæ habentur nobiles
& honesti.

De nobilitate. Cap. LXXX.

EX militia itaq; ortum habet nobilitas genti
litia videlicet claritas, ex cruore hostium &
cædibus strenua carnificina acquisita & pu
blico præmio comprobata, publicisq; honorū insi
gniis cohonestata. Hinc apud Romanos tot coro
narum genera ciuilium, muralium, obsidionaliū,
nauales, tot militaria dona, armillæ, hastæ, pha
leræ, torques, annuli, statuæ, imagines, nata sunt
quibus prima nobilitatis initia auspicabantur.
Apud Carthaginenses tot donabantur annulis,
quot interfuissent prælijs: Iberi tot circa defuncti
sepulchrum erigebant obeliscos, quot ille interemisset ex hostibus: Apud Scythas in celebri conui
uio ijs tantum circumlatam pateram accipere li
citum erat, qui hostem occidissent. Apud Macedo
nas lex erat qui nullum hostem interemissent ca-
pistro cingi in oppr obrium ignobilitatis. Apud
Germaniæ populum neminem vxorem ducere
licebat, qui non prius caput hostis occisi ad regē
detulisset, ipsaq; indignatio non dati debiti hono
ris, ijs qui strenue militarunt, contra patriam mul
tos induxit, vt subuerterent eius libertatem. Exem
plo sunt Coriolanus, Gracchi, Sylla, Marius, Ser-
torius, Catelina & Cæsar. Si itaque nunc nobilita
tis primordia requiramus comperiemus hanc ne
faria perfidia & crudelitate partam, si ingressum
spectemus reperiemus hanc mercenaria militia
& latrocinijs auctam: q; si etiam regnorum &
imperij originem quæramus, occurrent impia fra
trum parentumve parricidia, funesta coniugia,

& pulsi regno patres a liberis, aut trucidati princi
pes in cuius verba iuratum erat. Sed ipsam nobi-
litatem nunc a primis vnguibus exploremus: I-
psa reuera nihil aliud est quam robusta improbi-
tas, atque dignitas non nisi scelere quæsita. bene-
dictio, & hæreditas postnorum quorumque
filiorum: quod ita esse primum nobis sacræ literæ
deinde etiam antiquæ gentium & recentiores hi-
storiæ notum faciunt: Nam cum ab initio creatio
nis mundi genuisset transgressor Adam primo-
genitum suum Cain agricolam, & alterum Abel
pastorem ouium, in quibus humana familia biui
um fecit, videlicet in Abel plebis, in Cain nobili
um: qui cum secundum carnem crudelis & super
bus esset, de more persequens eum qui secundum
spiritum humilis erat, interfecit Abel: sed repara-
ta fuit plebea familia in Zeth tertio filio Adæ.
Ipse itaque Cain parricidio fratris primus milí-
tiæ & nobilitati initium dedit, ac contemptis dei
& naturæ legibus, confidens autem in propriis vi
ribus, vsurpans sibi dominationem primus condi
dit vrbes, constituit imperium, ac creatos a deo
liberos homines & filios generationis sanctæ, vi,
rapina, seruitute, & iniquitatis legibus opprime-
re cœpit: donec illi etiam contempto dei iudicio,
& corrupta omni carne, promiscua libidine
inquinati, genuerunt gigantes, quos interpreta-
tur scriptura potentes a seculo, viros famosos,
atque hæc est vera & commodissima nobilium
definitio. Opprimebant enim inopes, ex-
tollentes se trocinijs, & superbientes opibus,
celebrantes nomina sua, imponentes ea regioni-
bus, & vrbibus, & montibus, & fluminibus, &
aquis, & mari, quorum primus parens Cain

natura malignus, inteſtino odio inuidus, a diuina correptione incorrigibilis, diſſimulata ira proditor in proprium ſanguinem parricidia, maledictione vagus & profugus, etiam maledictioni ſu peraddens blaſphemiam: atq; hæc ſunt illa antiquiſſima & primæua nobilitatis munia, hæ virtutes, hæc ingenia, quibus vſq; in hunc diem ipſa ornatur nobilitas, cuius architectus pater ille gigantum, quos deleuit dominus in diluuio aquarū, vno ſolo reſeruato Noha viro iuſto in generationibus Zeth cum ſua familia, cui cum tres eſſent filij Samus Iapetus, & Chamus, atq; illi inſtaurato poſt diluuium ſeculo priſcorum gigantum exēplo etiam vrbes conderent, & regna conſtituerēt, idcirco ſcriptura a Noha vſque ad Abrahamum nullam facit mentionem iuſtorum, omnes ſiquidē ad Abrahamum vſq; nobilitatis artifices extiterunt, robuſtæ videlicet improbitatis, impietatis, confuſionis, potentiæ, militiæ violentiæ, oppreſſionis, venationis, luxus, pompæ, & vanitatis, & ſimilium nobilitatis ſtigmatum, quæ Nohæ filij huic impreſſerunt: e quorum numero Chamus eo quod cæterorum eſſet requiſſimus, atq; in parentem impius, primam & ſuper omnia regna domi natricem monarchiā promeruit. Ipſe genuit Nimbrotum, quem ſcriptura deſcribit potentem in terra & robuſtum venatorem aduerſus dominū: hic ædificauit Babylonem illam magnam. & linguarum confuſioni initium fuit, tradiditq; regnandi diſciplinam, nobilitatumq; gradus, honores, dignitates, officia, imagines q; diſcreuit: Exinde in plebem leges ſancitæ, introducta ſeruitus, & exactiones a populo, conſcripti exercitus, geſtaque crudelia bella. Abs eodem Chamo proceſſerunt

Chus, a quo Aethiopes & Mizraim, a quo Aegyptij & Chanaan, a quo Chananæi nobilissimæ quidem gentes, sed deterrimæ, reprobatæ, & a deo maledictæ. Exacto tandem multo tempore rursus elegit deus hominem iustum patriarcham illum Abrahamum, ex quo suscitaret sibi semen, ac populum sanctum, quem circumcisionis signaculo ab aliarum gentium multitudine distinxit: hic duos ab initio genuit filios, vnum ex ancilla spurium Ismaelem alterum ex vxore legitimum, cui nomen Isaac: factus est autem Ismael homo ferus & sagittarius, vir nobilis & potens princeps, Ismaelitarum genti nomen suum perpetuum relinquens, benedixitq; illi deus, & confirmauit nobilitatem eius in rapina & militia, inquiens: Manus eius contra omnes, & manus omnium cõtra eum, & e regione fratrum suorum figet tabernacula. Isaac autem perseuerans in iustitia patris sui, illius gregem pascebat, atq; hic ex Rebecca sua duos genuit filios, Esau & Iacob. Esau itaque odiosus deo, homo rufus et hispidus, venator & sagittarius, heluo & ventri deditus, adeo vt pro vno pulmento venderet primogenita, factus est vir potens atq; princeps Idumeorum, benedictionem accipiens nobilitatis in pinguedine terræ, & rore cœli, in gladio & excussione iugi. Iacob autem iustus, profugus apud auunculum suum Laban, oues illius pascebat, cuius vtrasque filiasqua tuordecim annorum seruitute cum promeruisset vxores, duodecim ex illis filios suscepit, vocatumque est nomen illius Israel, quod posteris suis deinceps reliquit, vt vocaretur populus Israel: Erant Iacob, quod diximus, duodecim filij, videlicet, Roben, Symeon, Leui, Iudas, Isachar, Zabulon,

Ioseph, Beniamin, Dan, Nephtalim, Gad & Aser ad quorum numerum, duodecim tribus Israel numerari sunt: Verum Ioseph a fratribus suis venditus in Aegyptum, omnii Aegyptiorum disciplina imbutus est, & factus est somniorum interpres peritissimus, & augurabat in calice: œconomicæ disciplinæ adeo peritus erat, vt ingenij, calliditate, nouas artes parandarum diuitiarum, & vectigalis augendi inueniret, quam ob causam Pharaoni regi gratissimus, constitutus est ab eo princeps super omnem Aegyptum, atque ex seruili mancipio, solenni Aegyptiorum ritu, nobilis creatus est. Posuit enim rex annulum in manu eius, & torquem in collo eius auream, & induit eum purpura, fecitq; ascendere currum, clamante præcone, vt omnes deinceps tanquam nobilem & principem reuererentur illum. Similis per omnia nobilitandi mos erat apud Persas, sicuti de Mardocheo Hebræo nobilitato ab Artaxerxe rege legimus in libro Hester. Inde in hunc vsq; diem hæc nobilium creandorum consuetudo permansit penes reges & cæsares, a quibus alij pro pecunia emunt nobilitatem, alij illam lenocinio, alij veneficijs, alij parricidijs hanc commeruerunt: multis proditio nobilitatem conciliauit, simulatq; diuitias peperit, quemadmodum de Euthicrate, Philocrate, Euphorba, & Philagro historijs proditum est. Plerique adulatione, detractione, calumnijs, sycophantia: plures ob prostitutas regibus vxores & filias, nobiles facti sunt: multos venationes, rapinæ, cædes, præstigia, & aliæ malæ artes ad nobilitatem promouerunt. Sed ad Ioseph reuertamur: Hic cum potens esset in domo regis, & suscepisset filium primogenitum

Manasſen elatus euentitia hac nobilitate, in iniu riam & contemptum paternæ domus, nõ ſine cul pa locutus eſt, dicens: obliuiſci me fecit deus labo rum meorum, & domus patris mei, quapropter in benedictionibus poſt poſitus fuit Manaſſe, & præ latus illi iunior Ephraim: ipſe denique Ioſeph, licet eſſet filius Iacob, tamen propter hanc nobilitatis deo odibilem conditionem, non meruit ferre no- men tribus in Iſrael, ſed datum eſt filijs ſuis Ephra im & Manaſſe: neque illi in tribubus ſuis habue- runt prophetam & omnium minima benedictio ne benedicuntur, videlicet in fortitudine & multi tudine familiæ ſuæ. Habitauit autem populus Iſ- rael in Aegypto annis multis, erantque paſtores pecorum in terra Geſſen, cum vero creſcerent in gentem magnam & potentem, ſuſpecti & odibi les facti ſunt nobilibus & regibus Aegyptijs: qua re affligebant eos operibus duris luti & laterum, & omni ſeruitute operum terræ, & pueros eorum maſculos occiderunt, mergentes in flumine, ut nõ ſupereſſet illis ſemen in terra. Horum itaque vnus, eo q̃ eſſet puer elegans, ſaluatus eſt a filia regis, quæ adoptauit illum in filium, & vocauit illum Moſen, quia de aquis eripuiſſet eum. Creuit itaq; Moſes in domo regis, omiq; Aegyptia doctrina imbutus, tanq̃ regis filius habitus, potẽs factus eſt & dux militiæ Pharaonis contra Aethiopes. De ſponſauit autem ſibi filiam regis Aethiopũ in cõ jugem, vnde contracta Aegyptiorum inuidia, et odio exulare coactus, profugit in Mediam, vbi apud puteum quendam, contra regionis illi- us paſtores, pro puellis quibuſdam certamen ſu cipiens, eo beneficio vnam ex illis meruit habe- re vxorem filiam ſacerdotis; tandem prouectus

ætate & sapientia, agnoscens genus suum, de gente Hebræorum reuersus est in Aegyptum, & renũciata Aegyptia nobilitate, confortatus a deo, ducem se præbuit populo Israel, & multis miraculis eduxit illum de Aegypto: cunq; peccasset populus aduersus deum in vitulo aureo, iratus Moyses iunxit sibi viros fortes filios Leui, & præcepit illis, inquiens: Ponite gladios super femur vestrum, et euntes & redeuntes, occidat vnusquisq; fratrem & amicum & proximum suum: factaq; hac memorabili cæde, quasi viginti trium millium hominum, benedixit illis, inquiens, consecrastis manus vestras hodie in sanguine, vnusquisque in filio & fratre suo, completaq; est benedictio Iacob ad Symeon & Leui vocantis eos vasa iniquitatis bellantia, quorum furor maledictus & pertinax, & indignatio dura. In hoc itaque insigni parricidio initium cepit nobilitas in Israel, tunc enim constituit illis Moyses principes, & duces, & capita exercitus, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos viros bellicosos, & pugnatores egregios per tribus & cognationes suas: e quibus qui bello fortitudine alios præcellere videbatur, huic tribuerunt principatum, iudicandiq; potestatem. Regem non enim habebant, sed iudicibus regebantur, e quibus Iosue vir nobilis, robustus & bellicosus, victor regum, & non timens quemq;, post Moysen tenuit principatum: post cuius obitũ sine principe sub democratia vixerunt, sed seditiosi facti pugnarunt in seinuicem, & prope deleuerunt tribum Beniamin, vt non superessent nisi sexcenti viri: cunq; abiurassent illis filias suas, datæ sunt illis q̃dringentæ ỹgines captiuos: Iahis Galaad, reliqs ducentis ꝓmissum est rapere virgines

a Silo: Atq; hoc modo impleta est benedictio nobilitatis Beiamin, in imagine lupi mane rapiētis prædam, & vespere diuidentis spolia. Post hęc ruit sus ad aristocratiam & principum regimen conuersi sunt, e quibus tandē Abimelech spurius Hieroboal de tribu Manasse, interfectis solenni parricidio super vno lapide septuaginta fratribus suis legitimis, primus regnum obtinuit in Sichem: Porro vniuerso populo Israel petenti sibi regem, in furore domini dati sunt illis reges, paucissimi quidē boni, plures autem mali. Iratus enim est dominus, & dixit illis ius regis, quia tolleret filios & filias eorum, faciens sibi aurigas, panificas, & agros, & greges, & predia, & seruos, & ancillas, & optima quæq; illorum pro libito addecimaret sibi, & distribueret seruis suis, populūq; totum seruitutis premeret iugo, et quoties rex peccauerit, et inique egerit, populus plecteretur pro eo, constituit autem illis regem adolescentem de tribu Beniamin, noīe Saul, virum fortem robore, statura procerū, adeo, vt ab humero sursum, altior esset omni populo, in cussitq; deus timorem omnibus, vt eum quasi ministrū domini venerarentur: hic anteq; regnare cœpisset tanq; filius vnius anni, innocens erat et optimæ indolis: adeptus autem regni nobilitatem, effectus est vir nequam, et filius Belial: Sustulit ergo deus regnum de domo Saul, et dedit illud Dauid filio Isai de tribu Iuda: Atque hic e pastore ouium constitutus rex eadem nobilitatis pestifera contagiōe infectus, factus est homo peccati, sacrilegus, adulter et homicida, tamen non declinauit misericordia dei ab illo. Regnauit autem ab initio in Hebrō, quum Hisboseth filius Saul regnaret post Iordanem, tandem confirmatum est illi regnum

vniuersi populi in Hierosolymis: Veruntamen pacificam Israelitarum monarchiam non obtinuit: nam eo viuente, filius eius Absolon, regnum inuasit in Hebron, quo occiso, rursus inuasit regnū Siba filius Bochri: Porro ambiuit regnum filius Dauid Adonias. Ipse autem Dauid moriturus hæredem instituit minorem natu Salomonē filium Bethsabee adulteræ, atq; hic primus Hebræorū monarchiam obtinuit, quā Adoniæ fratris natu maioris parricidio confirmauit, adeptusque regnum etiam ipse a via recta declinauit post mulieres in fornicationes & idololatriam, derelinquens legem dei: successitq; illi filius malus Roboam etiam ille nequam & peccator aduersus deum: ideoq; scissa est ab eo monarchia populi, & defecerūt ab eo decem tribus, & constituerunt sibi regē Hieroboam virum nequissimum, de tribu Dan, q̄ venenauit totum Israel, abducens decem tribus ad idololatriam, erectis vitulis in Samaria, vt impleretur benedictio, inquiens: Dan coluber super viam, cerastes super semitam mordens calcaneum equi, vt cadat cessor eius retrorsum. Tribus autem IVDA quieuit sub semine Dauid, quemadmodum benedixit illi IACOB, non auferendum sceptrum a IVDA, donec veniret MESSIAS: Erat autem ille Iudas filiorum IACOB pessimus, & in nutum suam incestuosus, erantque illi filij nequissimi & sceleratissimi: Quocirca benedictionem nobilitatis accepit in sceptro regni & fortitudine leonis, tandem quoque recesserunt a regibus Israel populus EDOM & LOBNE, & constituerunt sibi reges pro arbitrio suo: quemadmodum benedixit deus Esau de excutiendo iugo; Inter omnes

autem reges Iuda & Israel, vix quatuor inuenti sunt boni: exactis itaq; regibus, cum tota nobilitate Iudæi in captiuitatem et seruitutem in Babyloniam traducti sunt: iterumq; post multa tempora miserante deo reducti in Hierosolymam, aliquamdiu sub sacerdotibus & optimatibus, & populari magistratu rempublicã suam feliciter administrarunt, donec Aristobolus Hircani filius diadema sibi imposuit, regnumq; Iudæorum et matris & fratrum parricidio refecit, quod deinceps per plures reges, postremo sub Archelao insolenti & obscœno rege finiuit. Iudæa tota in Romanorum prouinciam redacta, ac tandem sub Tito & Vespasiano deleta, vniuerso populo, per vniuersum orbem, ad hunc vsq; diem in perpetuam seruitutẽ relegato. Hæc ita ex sacris literis prosequi libuit, vt ostenderem ab initio mundi nullam fuisse nobilitatem, quæ non sceleratum habuerit initium, etiam in populo dei, nec aliud esse nobilitatẽ quam gloriam & præmium publicæ iniquitatis, in qua quo pollutior vita, eo præclarior: quo plus scelerum, eo plus prẽmij & gloriæ: sicut non inscite comprehẽsus Diomedes pirata ille ait ad Alexandrum, inquiens: Ego quia vno nauigiolo latrocinor accusor pirata, tu quia ingenti classe id agis, vocaris imperator: si solus & captiuus esses latro eris: si mihi ad nutum populi famulentur, vocaret imperator: nam quo ad causam non differimus, nisi quia deterior est qui capit improbius, qui iustitiam abiectius deserit, qui manifestius impugnat leges: quos enim ego fugio, tu persequeris: quos ego vtcunque veneror, tu contemnis: me fortunæ iniquitas & rei familiaris angustia, te fastus intolerabilis & inexplebilis auaritia,

furem facit: si fortuna mea mansuesceret, fierē fortē melior: at tu quo fortunatior, nequior eris: Miratus Alexander hominis constantiam, iussit ascribi militiæ, vt posset deinde saluis legibus militare, hoc est, latrocinari. Iam vero progredientes ad ethnicorum historias similiter ostendamus ipsam nobilitatem non aliud esse q̄ improbitatem, furorē, latrociniū, rapinā, homicidiū, luxū, venationē, violentiam, a pessimis vbiq; principijs ortam, peioribus prosecutam, turpissimum semper habuisse exitum: quod in illis quatuor famatis monarchijs, deinde in cæteris quoque nobilium regnis constabit. Prima itaque post diluuium monarchia fuit Assyriorum, cui initium dedit Ninus primus, qui prior omnium nō contentus suis limitibus propagādi imperij libidine arma foras extulit, et cruenta bella vicinis inferens, totius orientis populos subegit: magnitudinemque quæsiti imperij, sequētibus semper nouis victorijs, continua prouinciarum accessione, adauxit, subacta Asia, perdomito Ponto. Porro Zoroastem Bactrianorum regem parricidiali pugna oppressum interfecit, vxor erat Nino nomine Semiramis, hæc vt refert Dinon historicus, petijt a viro vt quinque dies imperitaret, q̄ concesso impetratoq; stolā ac coronā sibi aptauit, ac in sellā regiam conscendit, imperauitque satellibus vt Ninum virū suum regijs ornamentis exutum interficerent, q̄ sic extincto, ipsa succesisset in imperio, nec cōtenta regni terminis, Aethiopiam imperio suo adiecit, in Indiam bella extulit, Babyloniā muro angustissimo cinxit, postremo a filio Nino secūdo, quē flagitiose cōceperat, impie exposuerat, incestuose cognouerat, occiditur. His itaq; parricidijs Assyrios monarchia obtinuit prī

Semiramis ex filio nepte acta

cipatum, donec sub Sardanapalo rege viro omni muliere corruptiore deficeret, quē Arbactus Medię prefectus inter scortor greges comprehensum interfecit, ipseq se cōstituens regem imperium omne ab Assyrijs transtulit ad Medos, idq Cyrus tandem detulit ad Persas, penes quos filius eius Cambises nouæ Babylonis conditor, adiectis multis regnis, secundam monarchiam obtinuit, quam & fratris & filij parricidio cōsecrauit: hęc tandem in Narso Ochi filio inclinauit: cui, interfecto eo, abs Bageo eunucho surrogatus est Darius persa Arsani filius, Gademannus antea vocatus, qui abs Alexandro magno deuictus Persarū monarchiam simul cum vita finiuit, quam idem Alexander paternę cędis vna cum adultera matre conscius & consultor, hoc ipso famoso parricidio transtulit in Macedonas, atq hæc tertia fuit monarchia, quæ, extincto Alexandro, mox & ipsa corruit. Successit quarta monarchia Romanorū, qua nulla in rebus humanis potentior, sed si temporum series abs vrbe condita repetatur, illam inuenimus a pessimis initijs ortam, & a pessimis frequentius gestam, ideoq hæc nobis paulo altius et a primis vrbis conditoribus repetenda est. Vrbs Roma a geminis fratribus Remo & Romulo ex incestuosa Vestali genitis, a meretrice educatis, in Italia primum condita est: cuius regnū Romulus parricidio fratris instar Cain vitiauit: cūq se deorum filium dici pateretur, collecta sceleratorū satellitū manu, promissa illis impunitate, rapuit filias Sabinorum: et constituens illis vxores ex omnibus quas elegerant, genuerunt Gigātes, illos inquam Romanæ nobilitatis reges atq proceres toto orbi formidabiles, tamq Sabinorum fœmi

nis & filiabus fraudulento fœdere proditorioque ludo pellectis, nefarie raptis, crudelibus nuptijs sibi suisq; sociatis, parentum ac maritorum nece obtentis, nouis insuper parricidijs defendit: Nam soceris sui sanguinis incõtinens, etiam Titum Tatium pium senem Sabinorum honestissimum ducem in societatem regni assumptum miserabiliter occidit: hæc fuere Romani regni primordia, quod per ducẽtos quadraginta tres annos sub crudelibus regibus rectum, sub Tarquinio superbo, flagitio stupratæ Lucretiæ desijt: Et quemadmodum successio Cain in septenaria generatione perijt sub diluuio aquarum, sic & isti Romuli successores in septenario regum numero a populari tumultu obruti sunt: & licet Romana vrbs regum exuisset imperium, non tamen euasit tyrannidem Exactis nanque regibus, cum post tumultuantis populi inundationes, regnum ad optimates translatum esset, Brutus quidam, vir nobilis, primus Romanorum consul designatus est: hic quo tantum stabiliret imperium primum illius conditorem regemque Romulum, non solum exæquare parricidio sed & vincere studuit: quippe duos filios suos adolescẽtes, totidemq; vxoris suæ fratres Vitellios medio foro virgis cæsos securi percussit, cumque imperium hoc sub optimatibus & plebe per diuersos magistratus, priuatasque tyrannides, per multa secula stetisset, sub Iulio Cæsare, viro difficile dictu an bello fortiore aut libidine corruptiore, atque deinceps sub Antonio identidem libidinis mancipio terminauit, totaque Romani imperij summa vni Octauiano Augusto imperatori collata est: in hoc quarta illa orbis monarchia initium cœpit, neque vero

absq; parricidio: quamuis Augustus hic principum omnium mitissimus haberetur, tamen auunculi Cæsaris a quo adoptatus fuerat in imperium & hæres institutus, filium atq; puellam ex Cleopatra susceptas proles interemit, neq; nomini, neque beneficio, neq; affinitati, neq; puericiæ parcens. Iamq; Romanorum principes orbis monarchiam tenuerunt, atq; Neronem, Domitianum, Caligulam, Heliogabalum, Galienũ, aliaq; crudelitatis et turpitudinis monstra produxerunt, sub quibus totus orbis cõcussus est, quousq; magnus ille Constantinus interfecto Maxentio, qui obli bidinem & crudelitatem Romano populo infensus erat, a senatu Augustus declararetur. Hic cũ Byzantium instauraret, vrbemq; Romæ æmulam faceret, atq; exinde nouam Romã & ex nomine suo Constantinopolim vocari iuberet, hanc imperatorum sedem esse voluit, Romanumque imperium transtulit ad Græcos, ipsumq; Constantinopoli, quemadmodum Romæ Romulus, duorum Liciniorum sororis suæ viri & filij, propriæque prolis & vxoris parricidijs, sacrauit, perstititque imperium apud Græcos vsque ad tempora Caroli magni, in quem nomẽ duntaxat imperij translatum est ad Germanos. Sed hæc de monarchis hactenus. Cæterorum aliquot regnorum initia finesq; perscrutemur, & comperiemus auspicijs non melioribus incœpta, nec inferioribus flagitijs parta, nec minori luxu rursus dissoluta. Prærereã Dardani parricidia, & quo facinore ille persuasis in scelus Achiuis, Græcorũ regni initia dedit: Taceo etiam mulierum imperia virorũ parricidijs parta, quemadmodum de Amazonibus narrant historiæ. Ad recentiora tempora

nostraq; confinia vadamus. In Hispania tempo re Theodosij imperatoris, primus regnauit Atanaricus Gothus, sed eo tempore etiam Alani & Vuandali Hispaniam possidebant: Primus autē ex Gothorum regibus Hispaniæ monarchiā adsecutus est Suytilla, quā postremo Rodericus rex, quod filiam Iuliam Tingitanæ prouinciæ præfecti stuprasset, amisit, finem adferens Gothorū imperio, Saracenis Hispaniam occupantibus: deinde sub Pelagio rege, recuperatis aliquot locis, tūc primum Hispaniæ reges at non vltra Gothorū dici cœperunt, titulo regni apud Legionem oppidum manente, vsq; ad tempora Ferdinandi Sancti filij, qui primum se Castellæ regem pronuntiauit, ac interfecto fratre Carsia, eo parricidio etiam Nauarræ regum adiecit: illorum autem frater Ramirus, quem pater illorum ex concubina genuerat vir bellicosus & ferus, primus Arogonensium rex euasit: Lusitanorum autē rex primus fuit Alphonsus, Henrico Lothoringo, & Tyresia Alphōsi, Castellæ regis notha filia genitus, vir in armis strenuus, & qui quinq; Saracenorum regulos vno prælio superauit, hinc quinq; scutorū insigne Lusitanorum reges ferunt in clypeis: fuit tamen Alphonsus hic in matrem parricidialis animi, quā propterea cp secundario nupsisset in perpetua vinculo coniecit, nec vt dimitteret vllis precibus flecti, nec ecclesiasticis censuris impelli potuit: Deniq; omnia hæc Hispaniarum regna aut ingentibus sceleribus parta sunt, aut illis artibus confirmata. Iam vero et Anglorum regni prima initia fere fabulosa sunt: Deinde hæc insula varijs sub regibus, & a multis gētibus Pictis, Scotis, Danis, Saxōibus passim habitata, & subacta. Postremo



ſub Guilielmo Normanno monarchiam obtinuit quietam, quam ille Atoldi regis VVeſtoſaxonũ conſanguinei ſui parricidio ſibi poſteriſq; ſuis cõ firmauit, cuius ſucceſſio manet in hunc vſq; diem ſemper famoſis parricidijs admodum inſignis: Tranſeo Burgundionum & Longobardorũ regna, ex penitimis Germaniæ populis in Gallia et Italia, hinc rege Gondiacho, inde vero Alboyno primum incepta, crudeliſſimiſq; parricidijs propagata Francorum in Gallia potentiſſimum regnũ ſpectemus, Huius prima initia a Pharamũdo Merouei ducis filio ortum habent, qui primus ex Germania in Galliam migrans primus rex conſtitutus eſt Francorum, omni crudelitate & truculẽtia ſuperior, huius ſeries durauit vſq; ad Childericum tertium, qui ob ſegnitiem in adminiſtranda republica, & propter libidinem in matronas dejectus regno, in cœnobium monachorũ detruſus eſt, Pippino maiore domus in regnum ſurrogato, quod ille ſibi poſteriſq; ſuis proditione partũ, inſup Griſonis frĩs parricidio ſtabiliuit, vſque ad Ludouicũ ſextum Lotharĩ filium, qui ob adulterĩ crimen a Blancha coniuge veneno ſublatus eſt, inuadente Francorum regnum Hugone Capeto viro gladiatore & ſanguinolento ſtrenuoq; pugnatore, & quibus artibus apud Pariſienſem populum magnus habitus eſt, alias vero ignobilis, atque e lanione progenitus. Hic contra Carolum Ludouici patruum, ac verum regni hæredem rebellis, collecta ſceleratiſſimorum nebulonum manu acieque peſſimorum ſatellitum, dictum Carolũ apud Aurelianum ſibi in manus proditum, in carcerem cõiecit, ibique mori compulit, quo nephandiſſimo in regẽ & principem ſuũ perpetrato parricidio, ipſe

sibi diadema imposuit, & carnificina pro regno commutata, Gallis deinceps cum posteris suis imperauit: cuius successio in hunc vsq; diē durat, donec illa rursus in aliquo meretricū & libidinis mācipio ruitura sit. Nimis longum foret hoc loci regnorum omnium initia recēsere, & per omnes antiquitatum historias discurrere: Ego hanc rē quā hic summario conceptu tetigi ampliore volumine descripsi alibi, vbi ipsam nobilitatem suis coloribus & liniamentis exacte expressi, ostendique non fuisse nec esse aliq̄d in orbe regnum insignēue principatum, quæ non inceperint parricidio, proditione, pertidia, crudelitate, strage, cædibus, alīsq; horrendis sceleribus, artibus inq̄ nobilitatis: cuius cū talia sint capita, facile cognoscere poterimus cuiusmodi sint reliqua beluæ illius membra, eaq; oīa ad violentiā, ad rapinā, ad cædē, ad venationem, ad libidinē, & oīs gūis luxū prona & exercitata. Velit qs nobilis fieri primum venator fiat, hoc primū elementū est nobilitatis, deinde mīles mercenarius, & pretio locet homicidia, hæc vera nobilitatis virtus, in qua si se fortē latronem exhibuerit, nulla maior nobilitatis gl'a. Qui ad hæc ineptus est, hic nobilitatē emat pecunia, siquidē & ipsa etiā venalis est: aut si id nō poterit, parasitē regibus, aut alia quauis aulica fraude se intrudat, & Palatinaꝝ meretricū lenonē agat, aut prīcipi prostituat vxorē vel filias, aut ipse dñaꝝ expleat libidinē, aut regio scorto nubat, aut eorundē spurias filias ducat vxores, hic summus est nobilitatis gradus, vnū siquidē corpus efficitur cū illis, hæc sunt itinera, hæ scalæ, hi gradus qbus ad nobilitatis apicē cōpendioso tramite conscendīt: qui vero cæteris generosiores & in gñe suo nobilissimi

Regula gradꝰ q̄ adscendendi vel acquirēdi nobilitatē

omniū videri uolunt, progenitores iactant eiusmodi, cuiusmodi nemo nō contēneret videlicet hoīes alienos, Troianos, aut Macedones īcertis sedibus vagabundos ac transfugos, & mille scelestissimis facinoribus coopertos, atq; adhuc (si dijs placet) laudare oportet & extollere hanc eorum nobilitatem, quæ tam sceleſtissimos habuit ortus: Alij cum a meretriculis & scortis ortum habuerunt turpitudinem hanc fabulis tegunt, qualem de Melusina legimus: sunt qui alios sceleratos habuere ortus, incestius, stupra, raptus, adulteria & eiusmodi: Sic Balduinus obraptam Iudith filiam a Carolo calvo primus Flandriæ comes creatus est: Sic Marchiones illi Pedemontium, videlicet Montis Ferrati, Salutiarum, Senæ, & cæteri multi ab Othone imperatore obraptam filiam instituti sunt: Solēt enim nonnunquam reges & imperatores, quas sine summa verecundia iniurias vlciſci nequeunt, dignitatis aliquo titulo perducere ad gloriam.

Porro quatuor principalia sunt nobilium istorum munera, in quibus omnis eorum sita est felicitas. Primum, illorum rapacitas: qua præter fas & æquum habent, capiunt, & possident: Alterum, voluptas: qua omni luxus & libidinis genere insolescunt: Tertium, libertas: qua contemptis legibus, violentiæ viribus stipati, omnia pro libito agunt: Quartum, ambitio: qua intumescti, supra sortē & staturum suā, nullo non scelere altiora petunt. Omniumq; deniq; nobiliū sufficientia in eo probat, si venaticā nouerint, si in alea fuerint damnabilius instituti, si corporis vires ingentibus poculis commōstrent, si naturæ robur numerosiore Venere comprobent, si audaciem strenue profundant, si fastu, si luxu, omniq; intemperantiæ dediti,

virtutumq; hostes, obliuiscant̃ q; nati q̃dq; moriturisint: Nobiliores aũt si hęc p̃nities a p̃ribus emanarit in filios, magnisq; subitrarit autorib. vt

Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres,
Bullatus paruoq; eadem mouet arma Fritillo.

Hæ sunt nobilium insignes virtutes: Sed habẽt p̃terea alias quasdam nobilitatis artes, quibus cũ maxime omnium nocentissimi sunt, id agunt, vt viri probi atque boni esse videantur, & prudẽtia, liberalitate, pietate, iustitia, insignes appareant, adeo se præbent faciles, beniloquos, affabiles, & omnium virtutum hypocrisi claros, molliunt sermones suos supra oleum, & ipsi sunt iacula, conq; sitis quotidie conuiuis epulantur splendide: in sermone & colloquijs liberiores, disputant de republica, aliorumq; sententias captantes, ex illis sapientiæ prudentiæq; famam in principum concilijs sibi aucupantur, liberalitatis etiam famam sibi ex auaritia vsurpant, dum quod auferunt vni, dono dant alteri, munifici prædones, & quod veteres de Sylla scribunt, alios per aliorum iniuriam locupletari studentes ipsi inter quotidianas rapinas semper inopes. Proinde iustitiæ & pietatis nomen sibi venantur, dum pauperum quæstiones libenter suscipiunt, fouentq; eorundem causas contra ditiores, sed eo vsq; dunt axat afflictis illis succurrunt, donec interim exhauriunt loculos plenio rum: neq; enim animus est prodesse pauperibus, sed nocere diuitibus, quod cuiuis illorum facilius ẽ quam prodesse, atq; hac iustitiæ pietatisq; umbra tantam sæpe licentiam sibi arrogant, vt ciuitatibus & potentioribus vim inferant, & publica hostilitate vexent: & vnde legũ autoritate, nullis spexare licet veniam, isti nobilitatis p̃textu assequun

tur gloriã, & tanq̃ antiq̃ gigantes gloriant̃ in peccatis suis: & cum veluti mali dæmones vndiq; q̃runt vt noceant, tunc maxime prodesse putant̃, quando solum nocere desistunt, agentes vt omnibus sint terrori, amentur a nullo, cum sceleratis et flagitiosis omnibus ponentes portionẽ: et qui se custodiæ eorum tradunt, depopulant̃ et opprimũt, nec vllum hominum genus ciuitatibus pestilentius q̃ nobiles isti, qui sibi ipsi placentes quasi cæteris generosiores, semper superbo spiritu turgent: de quibus id circo non male consuluit Aristophanes, inquiens: non oportere in vrbe nutrire leones: sin autem alti sunt, obsequi illis oportere. Horum tyranni de oppressi olim Heluetij nobiles omnes occiderunt, et totam eorum progeniem patria extirpauerunt, hac insigni nobilium strage, nomen sua uirtute celebre cum libertate adepti sunt, qua plus quadringentis annis in hunc diem feliciter imperant atque regnant, semperq; hoc nobilium hominum genus oderunt. Olim nulli erant populis graciores nec maioribus præmijs digni censebantur, quam qui tyrannos eorumq; stipatores & satellites etiam vel innoxios liberos interemerunt: quin & iurisconsulti docent nonnunq̃ innoxios recte occidi posse, si id magnopere prosit reipublicæ, ut extincto tyranno, et liberos trucidare, ne repullulet noua tyrannis: quemadmodum et Græci post euersum Ilium, occiderunt Hectoris filium Astyonactem, ne noui belli instaurandi occasio superesset: legamus licet veterum temporũ historicos, Titũ Liuiũ, Iosephũ, Egesippũ, Quintũ Curtiũ, Suetoniũ, Tacitũ, Serenũ, Tranquillũ et reliq̃s, sp licuit tyrãnis insidiari, licuit decipere, honestissimũ q̃ occidere, etiam vel veneno tollere, cuiusmodi

Heluetij

Tiberius a Iulio tertius imperator peremptus est sed cum venefitium detestabile semper fuerit, venenum quo ille extinctus est, orbis censuit esse vitale. Attestantur istis etiam sacrę literæ in Eglon, in Sisara, in Holoferne, quos interemerunt, Aioth Iahel, Iudith: quod etiã corã deo licuit, occisis quo cp facinore tyrannis iugum excutere, omnescp illi quorum facinore afflictus populus liberatus est, sacris bibliorum annalibus pro ministris dei honorari sunt. Iam vero nobilitatem non tam vsu et consuetudine, q̃ etiam natura malam esse nõ ambigimus: siquidem inter aues & quadrupedia nulla alia nobilitatis prærogatiuam habent, præter illa quæ cæteris animantibus etiã hominibus nõ tam infesta q̃ exitio sunt: cuiusmodi aquilæ, vultures, falcones, accipitres, corui, milui, struthiones, & fabulosæ Harpyiæ, Gryphi, Syrenes, & huiusmodi monstra. Simili ratione tigrides, leones, lupi pardi, vrsi, apri, dracones, serpentes, bufones. Ex arboribus vero nullæ aut paucæ dijs sacræ & nobiles habentur, nisi quæ aut steriles sunt, aut nullũ hominibus edibilem fructum ferunt, vt quercus, esculus, fagus, laurus, myrtus. Inter lapides non marmora, non ædiles, non molares, sed gemmæ, quæ nullum hominibus vtilitatis vsum præbent, habentur nobilissimæ. Sic & in metallis, argentũ admodum pernitiosum, & ferro nocentius aurum nobiliora sunt & digna habita, pro quibus tot cædibus & humani sanguinis dispendio populi dimicent.

Nobilitatis natiã mala

De arte heraldica. Cap. LXXXI.

A Tcp hinc processit heroica illa heraldorũ ars, & philosophia in censendis distribuẽdiscp istis nobilium clypeis admodum oc

cupata: quos aut iumentum, aut vitulum, aut ouem, aut agnum, aut caponem, aut gallinam aut anserem, aut aliquot horum animantium, quę hominibus seruitute vel vsui necessaria sunt, in armis gestare nefas est & infame: sed omnes a crudelibus beluis & rapacibus feris nobilitatis suæ insignia auspicari oportebit. Sic Romani aquilam, auium omnium rapacissimam sibi delegerunt, Phrygij sue pernicioſum animal, Thraces Martem, antiqui Gothi vrſam, Alani Hiſpaniam inuadentes catum, rapax ſimul & fraudulentū animal, Franci veteres leonem, eundem etiā Saxones: ſed deinde ſumpſerunt Franci in Gallia commorantes buſones, Saxones vero equum, bellicoſum animal, Cimbri taurum ferebāt fortitudinis & roboris ſignaculum, Antiocho regi agla draconem vnguibus deferens in ſignaculū erat, Pompeio autem enſifer leo, Attilæ coronatus aſtur: qn & Romani ipſi quibus anſeres pro Capitolio vigilantes ſalutem contra Gallos præſtiterūt, ne tā to quidem beneficio induci potuere, vt anſerem inter inſignia referrent: forte gallum & hircum ſunt qui admittunt clypeis, ſiquidem hæc animalia cō ſtat ſuperba & luxurioſa eſſe, quæ etiā præcipuæ nobilium dotes ſunt: eadem rōne & pauonem recipiunt propter faſtum, & vpupam, q̄ ipſa etiam ad regium habere videt, & coronam gerit: nec obeſt nobilitati q̄d nidificat in excrementis: nam ipſe q̄ndam Veſpaſianus imperator etiam ex lotio vectigal accepit, ingens: lucri nō eſſe malū odorē. Iam q̄ etiam plęra q̄ minuta animalia in iſtis nobiliū imaginib. p̄rogatiuā habēt, ſi mō ex itij alicuius documenta ſunt, alias nō admittēdā. Ex hoc numero ſunt cuniculi, talpę, ranę, locuſtę,

mures, serpentes, salpegæ, scolopendræ, a quibus (Plinio autore) aliquando abactos populos & deletas ciuitates creditum est: atq; eisdem rationibus nos illis etiam culices, cimices, muscas, quin & si velint vesicas, tabes, vlcera, pestes, libentissime concedemus, quippe istis olim Aegyptus sub Pharaone & Mose flagellata est, & hodie etiam nobiliores habētur, qui præ cæteris ornantur scabie gallica. Sunt etiam qui enses, pugiones, macheras, bipennes, scorpiones, turres, arces, machinas, ignes, & quæuis alia homicidiorum & perniciei instrumenta clypeis suis ingerunt: quin & Scytharum fulmen, Persarum arcus & phare træ, Corallorum rotæ insignia fuerunt: similiter inter diuos Iupiter fulmen, Neptunus tridentem, Mars frameam, Bacchus thyrsum, Hercules claua, Saturnus falcem sibi delegerūt: atq; hæc armorū insignia, quæq; pro suæ crudelitatis rapinę, violētię, fortitudinis, temeritatis, cęterarūq; nobilitatis virtutū expressiōe (heraldis decernētibus) alia alijs censentur nobiliora: q̄ vero clypea ijs carent, & mitiora quædā, vt arbores, flores, stellas, & eiusmodi exprimunt, vt Apollinis cithara, & Mercurij caduceus, aut sola colorum varietate distincta sunt, hæc prioribus illis multo recentiora minusq; nobilia sunt, quia non censentur hæc vlla militiæ fortitudine, alioue sanguinis aut exitij artificio fuisse conquisita: mirum tamen q̄ stulta sapientia in istis astrologicantur, philosophantur, etiam & theologissant paludati isti heraldi, dum fuscum & nigrum Saturno assignant, idcirco per seuerantiam, taciturnitatem & patientiam illi adscribentes: saphireum autem & azurinum, fidem: aut iuxta Gallorum opinionem zelū signi-

ficare volunt, Iouem illi præponentes. In rubro iram vindictamq; exponunt, ob furibundi Martis dominium: Auri flauus color Soli dicatus, hunc ob sui metalli prætium atque solis lucidissimum splendorem, desiderium ac lætitiam significare dicunt: Venerem præficiunt purpureo ac viridi, purpureum roseo nitore arridentem amorem significare dicunt: Sed Galli proditionis astutiam illi adscribunt. Viridis autem omnium consensu, spem denotat, virescentibus enim agris fructus speratur. Albus color lunæ adscribitur, qui cum sine mixtione simplex sit, omnis tamen mixtionis facile susceptiuus, puritatem, simplicitatem, aptitudinem signare volunt. Cæteros omnes mixtos colores adiudicant Mercurio, qui vt ipse vagus est & varius, ita omnes illos varietatem animi exprimere: nam cinericius nigro vicinior angustiam, carneus quasi remissi sanguinis occultum animi dolorem, vel secretum absconditumque cogitatum: palearis vero & clarus & obscurus velut decidentium foliorum, & arescentium herbarum desperationem, & suspitionem prosignificatis habent. Longum esset referre eiusmodi nenias ex humoribus, ex complexiōibus, ex temporibus anni, mensibus, & diebus, mundi angulis, & ventis, signis, planetis. plantis, lapidibus, ipsisq; ecclesiæ sacramentis. & mysteriis huc affingunt, & fere totam Apocalypsim ad has fabulas suas demigrare cogunnt. Atq; hæc est illa heroicorum heraldorū heroica philosophia: Hic finem facturus eram huius negotij, nisi occurrisset mihi præterisse me heraldorum originem: hūc itaq; sermoni huic appendere libet. Heraldos ab heroibus deducit Aeneas Syluius. Erant autem

Heroes veterani milites quos solos heraldos esse decet, atque sic herald Teutonicum vocabulum, significat, videlicet senem in armis siue veteranū militem. Sed hodie seruiles quidē homines, caduceatores, & nuntij feciales, etiā qui nunq̄ militauerunt id officij assequuntur, priuilegia aūt officiaq̄ heraldorum ex antiquissimis seculis in hunc vsq̄ diem durāt. Primus eor̄ autor fuit Liber pater, qui subacta India illos in hęc verba initiauit: Ego vos hodie militiæ laboribusq̄ absoluo, veteranos milites esse volo, heroasq̄ vocari, munus vestrum erit reipublicæ consulere, fontes arguere, laudare probos, cęteris muneribus vacabitis: quocunq̄ gentium terrarumq̄ veneritis, victum vobis reges vestitumq̄ dabunt, honoratiores apud omnes eritis: xeniavobis principes offerēt, suasq̄ vestes condonabunt, stabit fides dictis vestris, mendacia horrebitis, proditores iudicabitis, qui fœminas male habent, infames hos adseuerabitis, in omni terra libertas vobis esto, securusq̄ vobis transitus & incolatus: si quis vos, vestrumq̄ verbo factoue angariauerit quempiam, gladio ferietur. Adiecit post multa tempora istis heroum priuilegijs Alexander magnus, vt auro, purpura, coccinisq̄ vestibus, & paludamentis vti possent: quin & arma regia & insignia deferre, quouis gentium terrarumq̄ loco fuerint. Si quis hos manu pulsasset, aut verbo læsisset, eum proscriptis bonis etiam capitis reum esse: Sic Thucydidem, Herodotum, Didymum, Megastonem, & Xenophontem tradere idem Æneas refert. Tertio deinde Octauianus Augustus constituta Romana monarchia, illos hac lege decorauit. Quisquis es qui per decennium nobiscum militaueris,

si modo quadragenarius fueris, siue eques siue pedes stipendia meueris, militia post hac vacato, heros esto, veteranusq; miles, nemo te ciuitate, foro, templo, hospitio, domo prohibeat: nemo tibi crimẽ adscribat, onus imponat, pecuniam ex te quærat: si quid peccaueris solam Cæsaris vindictam expectato: quicquid turpitudinis admiserint homines, te iudicem propalatorẽq; timeant: seu priuati, seu principes fuerint, quod dixeris affirmauerisque, nemo falsum arguet: libera & aperta tibi omnia itinera locaque sunto, in ædibus principum mensa tibi cibi potusq; esto, stipendia quibus te tuamq; domum serues ex publico quotannis habeto: quam legitima face duxeris vxorem, cæteris fœminis præteratur: quem exprobraueris infamemq; dixeris, hic reprobratus homo, & infamis esto: arma, insignia, nomina, & ornamenta, heros ferto: quæ reges decent, quæ dicere aut facere velis, vbiuis gentium locorum nationumque facito. Si quis iniurius fuerit, ceruice careto: Postremo Carolus Magnus translato ad Germanos imperij nomine, post deuictos Saxones & Longobardos Cæsar & Augustus appellatus, illos hoc honore donauit, inquiens: Milites mei vos heroes vocabimini, socij regũ & iudices criminum: viuite posthac laboris expertes, consulite regibus publico nomine, turpia corripite, fauete fœminis, iuuate pupillos, concilio circundate principes, ab his victum, vestitum, stipendiumq; petite: si quis negauerit inglorius infamisq; esto, si quis iniuriam vobis intulerit, reum se maiestatis agnoscat: vos aũt caueritis ne tantũ decus tantũq; priuilegium iusto bellorum labore partũ

aut ebrietatis, aut ſcurrilitatis, aut alio quouis vitio maculetis, ne quod vobis largimur ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis ſumẽdam ſi forſitan exceſſeritis, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanorum regib⁹ perpetuo reſeruamus atq; hæc eſt heraldorum magnificentia, quibus antiqua conſuetudine temporum magnos ſeſe eſtimãt, quia impune maximis obtrectare illis permiſſum eſt.

De medicina in genere. Cap. LXXXII.

Sed iam a militia et nobilitate ad medicinam properemus, quæ ipſa etiam quædam homicidiorũ ars eſt, prorſus mechanica, licet philoſophiæ titulo ſe traduci poſſe præſumat, ac ſupra iuris prudentiam proximas theologiæ ſedes ambiat, vnde maxima inter medicos & iuriſtas contentio eſt: Argumentantur enim medici: Cum triplicia ſunt bona ex ordine animæ, corporis, fortunæ, priora curat theologus, ſecunda medicus, tertia iuriſconſultus: hinc medicis medias quoq; ſedes deberi ſupra iuriſconſultos, quantum corporis robur, & ſanitas fortunæ diuitijs præſtat. Sed hanc litem neſcio quis prætor lepida interrogatione diremit: quæſiuit enim ex litigantibus illis quis mos & ordo ſeruaretur in educendis ad ſupplicia reis, vter præcederet, & ſequeretur, latro ne an carnifex: Cumq; reſponderent præcedere latronem, ſequi autem carnificem, dedit ille ſententiam, pẽcedant ergo iuriſtæ, ſequantur medici, horum inſigne latrocinium iſtorum temeraria homicidia notans: Sed ad medicinam redeamus, eius plures hæreſes ſunt, nam eſt vna quam rationalem, ſiue ſo-

phisticam, siue dogmaticam vocant, eamq; Hippocrates, Diocles, Chrysippus, Caristinus Paraxagoras & Herosistratus secuti sunt: Quam etiam Galenus his longo tempore posterior adprobauit: Qui præ cæteris insequutus Hippocratem, totam medendi artem ad causarum agnitionē, signorum notitiam, rerum qualitates, & corporū diuersas habitudines gradusq; reuocauit. Sed hęc hæresis cum circa voces potius quam circa res ipsas versetur, naturalis philosophiæ fateor non infima pars est. Medendis tamen ægrotantibus nō admodum necessaria, ne dicam vel pernitiosa, vt quæ hominum salutem sanitatemq; ad contorta quædam sophismata relegat potius quam adsyncera quibus morbis mederi possit medicamina: et scholasticis syllogismis occupata solitudinū et saltuum hortorumq; nescia, ignorat herbas et medicinam: quo circa Serapion hāc rationalem medicinam nihil ad medendi artem pertinere professus est. Est itaq; alia medices factio prorsus quæstuaria & mechanica, a qua vsq; in hunc diē medici suum nomen habent. Hanc idcirco operatricem vocant, in empiricam & methodicam dispartitam, de hac nobis hic sermo est. Empiricam itaq; ab experimentis appellant, cuius principes Serapion, Heraclides, & ambo Apollonij fuere, quos postremo ex Latinis M. Cato, C. Valgius, Pomponius, Leneus, Cassius Felix, Aruntius, Cornelius Celsus, ac Plinius, & plærique alij secuti sunt. Ex hac deinde methodicam construxit Hierophilus Calcedonius, & ex longa rerum omnium magistra experientia ad certas regulas adegit, quam postea validissimis argumentis probarunt Asclepiades Themision, ac Archigenescō-

pleuit autem Thessilus Tralus, qui (vt autor est Varro) cuncta superiorum placita sustulit, ac velut rabie quadam in cunctos prioris æui medicos peroravit. Post istos vero complures externarum gentium, barbari philosophi de ea scripsere, inter quos adeo creuit Arabum gloria, vt huius artis inuentores plurimis visi sint, facileq; id se posse contendere videantur, nisi ipsa originalia græca & latina nomina ab illis vsurpata aliam artis originem indicarent. Hinc Auicēnæ, Rasis, & Auerrois volumina pari cum Hippocratis & Galeni libris autoritate recepta sunt, tantamque fidem adepta, vt si quis sine illorum placitis cuiquā mederi præsumat, is publicam salutem palam decoquere videatur: hę autem medicorum factiões licet paucę sint, non tamen minor inter eos contētio est & opinionum pugna, quam inter philosophos: Nam de spermate, quod genitale semen est, audite quis anilibus ratiunculis certant. Pythagoras illud vtilissimi sanguinis spumam, siue cibi vtilissimum excrementum dixit. Plato autē spinalis medullę defluxum, quia nimium coeuntes dorsum & renes dolent. Alcmeon autem cerebri partem adseuerauit, ex eo quod coeuntibus oculi dolent, qui sunt partes cerebri. Democritus autem ipsum ab omnibus corporis partibus deriuatum ait, & Epicurus a corpore & anima conuulsum, Aristoteles alimenti sanguinei excremētum, q̄d vltimū in mēbra digerat: cæteri putant sanguinem esse testium calore decoctū et dealbatum, ea duntaxat motiratione, q̄ vltra vires coeuntes sanguinis guttas eiiciunt. Porro Aristoteles & Democritus nil dicunt mulieris semen ad gñationem conferre, neq; germen illas sed parti

cularem quendam sudorem emittere: Galenus illas & perma licet imperfectum germen emittere ait, & vtrorumq; viri & mulieris semen fœtū constituere. Cæterum Aristoteles corpora animalium ex sanguine proxime vult generari, & immediate nutriri, sperma quoq; ex sanguine generationem habere: Hippocrates contra corpora animalium ex quatuor humoribus primo coagulari: sed & multi ex Arabibus putarunt animalia perfecta posse absq; maris & fœminæ permixtione generari, ac sine semine produci & propterea dicebant matrices nō esse necessarias nisi per accidens. De causis autem morborum originalibus agentes, Hippocrates illas in flatu siue spiritu collocat, Hierophilus in humoribus, Erasistratus in arteriarum sanguine, Asclepiades exatomis per corporis tuisibiles poros illapsis illas rimatur, Alcmeon ex corporalium potentiarum exuperantia vel inopia, Diocles ex inæqualitate elementorum corporalium aeriscq; halitu, Strato ab alimenti exuperantia cruditateque, & eius corruptione omnes morbos fieri solummodo putat. De ciborum autem conuersione non minus discrepant: nam Hippocrates, Galenus, Auicenna, in stomacho cibos per calorem concoqui affirmāt, Erasistratus hæc in ventre fieri contendit, Plistonicus & Paraxagoras non concoqui mō sed putrescere aiunt, quin etiam Auicenna & eius expositores, Gentilis, & Iacobus de Forlinio non sine insigni errore stercus in stomacho generari tradunt. Asclepiades autem & eius æmuli nō cōcoqui cibos, sed crudos in corpus omne diuidi putāt, q in super oīm superiorum dogmata vana & superua cua esse dicūt. Transeo vrinarum iudicia ab illis

necdum perfecte cognita pulsuumq; differentias incomprehensas. Iam vero & Hippocrates quem ipsi pro deo colunt, ab alijs in plærisq; non tam diuersum sentit quam turpiter errauit. Nam in libro de natura infantis ait: Generatur ex luteo oui auis, nutrimentum autem & augmentum habet albū quod in ouo est, quod falsum probat Aristoteles in libro de animalibus, & in libro de generatione animalium disputans contra Alcmeonem, qui cū Hippocrate sentiebat, concludit: origo pulli in albumine est, cibus per vmbilicum ex luteo petitur, cui sententiæ adhæret etiam Plinius inquiēs: Ipsum animal ex albo liquore oui corporatur, cibus eius in luteo est: nonne etiam ille Hippocratis aphorismus mendax est? Mulier non podagrisat nisi menstrua illi defecerint, cum multæ fœminæ quibus etiam menstrua fluunt podagras patiantur.

¶ De medicina operatrice. Cap. LXXXIII.

TOta præterea medendi operatrix ars nullo alio fundamento quam fallacibus experimentis superextructa est, ac tenui ægrotantium credulitate roborata, non minus venefica q̄ benefica, vt sæpissime & fere semper plus periculi sit a medico ac medicina quam ab ipso morbo: quod quidē & ipsi huius artis principes ingenue fatentur, videlicet Hippocrates dicens: Artem hāc esse difficilem & experimento fallacem: & Auicenna, inquiens: Fidem ac spem ægri erga medicū & medicinā sæpe plus efficere, q̄ ipsam cum medico medicinā: & Galenus, difficile posse reperiri medicamen, q̄d plurimū prosit, ac non simul

in aliquo obsit: atq; alius quidam ex illis ait, medicinarum noticia delectabilis est, vt reliquorũ omnium quæ arte & regulis constant, operatio autem secũdum medicinam a causa est. Eant igitur nunc fortunati ægri, ac periculosis experimentis, & casui fidem habeant, sed tam blanda est cuiq; pro se sperandi dulcedo (vt ait Plinius) vt cuicunque se medicum profitẽti statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio maius: Hinc est q; sæpissime salus illic quæritur vbi mors est, quippe medicorum hic optimus creditur, quem particeps lucri commendat pharmacopola, qui cũ illo colludit, cuius seruulos etiam medicus sibi sub stipe deuincit, qui lenocinio fungentes illum apud miseros ægros collaudãdo præferunt: magnæ quoq; præstantiæ medicus est, quem vsurpata pomposa vestis, & intermicantes crebris hyacinthis digiti commendant, & cui remota patria, vel lõga peregrinatio, aut diuersa religio (ceu Iudæus vel Maranus) & ad fallendum efficacissima frontis impudentia magnorumque remediorum constans, inconcussis mendacijs, iactantia, autoritatem, famam fidemq; conciliarunt. Et cui pertinax contẽtio, ac multæ semper in ore cum semigræculæ, tũ barbaræ voces: & multa autor suorum nomina doctrinæ fecerunt opinionem, atq; sic instructus, plus q̃ plombea grauitate, sed audacia pene militari, medẽdi practicam tũc hac hyprocrisi aggreditur. Primum inuisit ægrum, respicit vrinam, tangit arteriã, inspicit linguã, palpitat latera, explorat retrimenta, scire vult victus consuetudinẽ, & si qua etiam secretiora sunt inquirit, ac si per hæc libret elementa, & veluti in statera expendat humores ægrotãtis, fabulatur q; egregie, deinde ma-

gna iactantia præscribit medicamina, recipe catapotia, mitte sanguinem, fiant clysteria, fiãt pessi, fiãt vnctiões, fiãt cataplasmata, dentur elinctoria, denẽ masticatoria, fiãt gargarismata, fiãt sacculi, fiant fumi, dentur condita, dentur syropi, dẽ tur aquæ, exhibeantur teriacalia: quod si leuiusculus sit morbus, & æger delicatulus, excogitabit blandimenta, & quæcunq; mulierculis effœminatisq; viris grata atq; iucunda putat, magna autoritate præcipit, iam suspenso molli grabatulo, aut fontalis aquæ in peluim stillantibus guttis, somnos allicit, iam frícationibus, stufis cucurbitulis, morbum extenuat. Iam balneis, thermis, cibisque delicatioribus, ac cœli mutatione extenuatũ ægrum reficit: vt autem magnæ autoritatis habeatur, & simul admirationi sit, horas obseruando, physicas allegationes suspensionesq; adnecti facit, nec nisi ex Ephemeride mathematica, pharmaca potionesq; ministrat: Quin & in pharmacopolam sibi imperium arrogat, & se coram omnia dispensari iubet, sesecq; meliora aromata deligere simulat, cum sæpe nesciat sophisticata a veris discernere, resq; ipsas nomine tenus penitus ignoret: Si vero diues sit æger, aut magnę autoritatis, tunc quo plus sibi compendij atq; famæ accessurum sit, morbum quantum potest postrahit, ac nõ nisi paulatim restituit, etiã si posset semel vno pharmaco morbum depellere: nonnunq; vero medicamentis suis exagitato morbo, priusq; illũ tollat hominem ad extremum vitæ discrimen adducit, quo illum tunc abs grauissima & periculosa ægritudine liberasse prædicetur. Quod si quando que in manus suas æger incidat grauiori morbo conflictans, cognouerit; pernitiosum esse ma-

lum, & cuius dubius sit euentus, tunc istis ingredi tur stratagematibus, austero vultu viuendi leges præscribit, iubet insolita, prohibet cõsueta, arguit oblata execrat exhibita, cõminatur exitiũ, & vitam pollicet, magnaq; poscit præmia. Si dubitat de euentu, suadet cõuocari collegiũ, & postulat locũ, quo securius medeat, aut nõ raro cautius perimat, ne superueniẽs alius, qui ægrũ solus restituat, famam sibi atq; laudẽ cũ lucro præripiat. Si ęgro quid male cesserit, siue illum præter spem per insignem imperitiam occiderit, hic se aut per catarri præfocatiuum defluxũ, aut aliquod aliud simile subitaneum accidens, immedicabilẽq; casum apparenter excusat, & ægri inobedientiã, aut custodum negligẽtiam acriter accusat, aut incusat collegas, autin pharmacopolã culpam protrudit, sic enim efficit, vt nemo ægrotus nisi propria culpa perijsse, nemo nisi medici beneficio restitutus videatur: Iam vero medicos plærunq; nequam esse suorũmet testimonijs comprobabimus. Ait enim eorũ conciliator Petrus Apponus, artẽ medicinæ Marti esse adscriptam, qui planetarũ omniũ odiosissimus est, et qui ingratitudinis iurgiorũ, omniscq; iniquitatis & militiæ autor existat. Ideoq; etiam medicos vt plurimum malorum esse morum, cum ob Martis scorpionisq; influxum, tum quod ait, quia ex vili stipite & sterili originem contraxerunt, intumescentes demum & contumelioſi facti, cum fuerint incrassati: hæc ille, edoctus forte Aesculapij exemplo, quem primum medicinæ rem pertorem ex mente Iouis genium, & per Solis vitam in terras destinatũ fabulatur antiquitas. Celsus vero hominẽ fatetur, sed in deorum numerum receptum: complures alij asserunt illũ mere-

tricio incestu ex Coronide venusta mulierc̃ula genitum, quam sacerdotes in Appollinis templo adulterinis amplexibus sæpe subegerunt, qui finxerunt illum dei filium: omnes autem in hoc conueniunt tam scelestum fuisse hunc deum, vt Iouis fulmine in eo coercendo opus fuerit, de quo Lactantius ad Constantinum imperatorem sic scripsit: Aesculapius, & ipse non sine flagitio Appollinis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum nisi q̃ sanauit Hippolitum, mortem sane habuit clariorem q̃ a deo meruit fulminari: hæc ille. At sunt re vera medici homines omnium scelestissimi, discordantissimi, inuidentissimi, mendacissimi. Sic enim omnes a se inuicem dissentiũt, vt nullus reperiatur medicus, qui citra exceptionem, additionem, vel permutationem, præscriptum ab alio pharmacum comprobet, quinimo qui non laceret, mordeat, ne videlicet ipse non melior medicus videatur, si alterius vel optimo consilio nihil detraxerit, vel his quæ etiam sæpe nimis multa sunt non aliquid addiderit, vnde tãdem in prouerbium abijt, medicorum inuidia, & discordia. Nã quicquid probat vnus, ridet alter, nec quicquã apud eos certi, sed omnia promissa eor̃ nugæ volatiles & mera mendacia. hinc vulgus cum vult aliquem insigniter mendacem ostendere, ait illi, mentiris vt medicus. Summumq̃ ingenior̃ suorum opus in hoc versatur, vt in cogitandis nouis, veterum recte facta negligantur contemnãturq̃: tum quæ pauca sciunt recondunt, aut monstrare nolunt, quasi neminem docere in autoritate scientiæ sit, inuidentesque alijs, etiam vitam nostram fraudant alienis bonis: sunt insuper plurimum superstitiosi, arrogantes, malæ conscientiæ, superbi

& auari, quibus illud semper in ore obuersatur, dum dolet accipe, facientes etiam si suum ad cõpendium expedire crediderint, vt doleat quod sanum est: sicut legimus Petrum illum Apponium (quem Conciliatorem vocant) cum Bononiæ artem medicam profiteretur, tantæ auaritiæ & arrogantiæ extitisse, vt extra vrbem alicubi ad ægrotos vocatus, non minoris quinquaginta aureis in singulos dies se conduci pateretur: vocatusq; aliquando ad Honorium tunc pontificem, quadringentos aureos in dies singulos sibi statui pactus est. Quin & Aesculapium medicinæ parentem ait Pindarus a Ioue fulmine adactum auaritiæ merito, eo q; medicinã nocenter & in damnũ reipublicæ exercuisset. Iã vero si casu quouis fortunatus æger in manibus eorum euaserit, sit plausus intolerabilis, nemo sufficiet gloriam tanti miraculi decantare, Lazarum e mortuis resuscitatum narrabunt, illius vitam suum munus esse, sibi deberi, sese illum ab Orco reuocasse (vsurpantes sibi, quæ solius dei sunt) continuo iactant, nec vllo præmio se compensari posse, aiunt: Nonnulli illorum in id tumoris euecti sunt, vt se pro dijs coli paterẽtur, atq; Ioues sese nuncuparent, sicut Menecrates Syracusanus medicus, qui quandoq; ad Agesilaum Spartæ regem in hæc verba scripsisse legitur. Menecrates Iupiter Agesilao regi salutẽ: sed illius stultitiam subridens Agesilaus, respondit: Agesilaus Menecrati sanitatem. Quod si vero ægrotorum quispiam infelicior (quod plurimũ fit) inter medicorum manus expirauerit, tunc naturæ inopiam, morbi malitiam, aut ægri inobedientiã inculpant, ac artis suę remedia ab hoc naturæ sæuientis arcanum non extendi, sese medi-

cos esse non deos, curare posse sanabiles, non suscitare moribundos, nec quicquam se debere ægris per experientiam, & huiusmodi verbis etiam in sinistris euentibus superbiunt, & vltro qui periere arguunt intemperantiæ, & simul pretium posc̃unt cum occiderint suis pharmacijs, qui sine illis viuere potuissent: ægros pariter & fama, & pecunia, & sanitate, & vita, spoliantes: secura interim cõscientia. cum, quia error eorum (quod ait Socrates) terra tegitur: tum, quia irremeabilis est mortuorum regio, quo minus redire possunt, quos illi illusos inanibus verbis, & medicamentis noxijs infectos, ante diem in tartara præmittunt, vt contra illos spoliatæ vitæ & pecuniæ repetundarum agant. Sunt præterea medici plęrunq; contagiosi, & ab obiectis vrinis & stercoribus fœtulenti, lotiolenti, sterculenti, & ipsis obstetricibus sordidiores, ac sensibus omnibus infecti, dum oculis obscœna quæq; & fœdissima conspiciunt, auribus pariter & naribus ægrotorum ructus, ventrisq; crepitus, & infecti aeris halitus, flatus, pedoresq; excipiunt, labris ac ligua atras leteasq; potiones prægustant, manibus stercora & purgamenta explicant, ægrotorumq; horridæ imagines & vmbræ nocte dieq; phantasiæ eorum obuersantur, innumeraq; homicidia conscientiam eorum perturbant, totum denicq; illorum studium, sermo, ratio, oratio, spiritus, & ingenium non nisi circa tristia, fœda, tabida, horrida mortis & morborum genera versatur: totumq; eorum exercitium est in locis fœtidis, squalidis, & vilibus curis, & obscœno artificio constans, semper ægrotorum matulas, cloacas, & latrinas infamis lucri causa ambientes, atque tanquam vpupa auis sordida ex humanis

vpupa

ſtercoribus nidificantes. An non videtis illos quotidie quomodo obuinctis digitis, lutoſis latifundijs, vultu turbulento aut pallenti, continuo obambulant ciuitatem, ac præcipiti inceſſu, viliſſimi ſpe lucelli diſcurrunt ab apotheca in apothecam, quærentes & mendicantes, ſicubi quis lotium inſpectandum, vel concham offerat ſtercoraria, atq; vt cucullati illi vultures ad cadauera ſic iſti ad excrementa homines omnium ſunt naſutiſſimi: quæ etiam præguſtare ſolitum aiunt Hippocratem vt inde morbi naturam melius perſentiret, quod plærique etiam Aeſculapio adſcribūt, quem Ariſtophanes idcirco ſcatophagum vocat, quo verbo ſignificantur qui ciborum veſcuntur ſuperfluitatibus, quod nomen deinde ad medicos omnes deriuatum eſt, vt eos ſcatophagos & ſcatomantes, hoc eſt, merdiuoros & merdarum inſpectores vocemus. Hinc ſcatomantia, oromātia, driminantia, dicuntur diuinationes ſeu prognoſtica medicorum ex ſtercoribus & vrinis deprompta. Hinc apud multas nationes mechanici iſti medici olim infames habebantur, atque adeo vt (teſte Seneca) etiam grauiſſima infamia haberetur medici opus quærere, & hodie adhuc plærique populi medicos pariter & obſtetrices & carnifices a menſis & conuiuijs excludunt, aut non niſi ſecretis ſeparatiſque patinis calicibuſque excipiunt: quocirca ſtomachari hic licet in deteſtabilem illum multorum principum morem, qui tam peſtilentes homines nedum ad matutina cubicula, ſed et quotidianis ægrotantium congreſſibus, recentibus ſemper peſtilitatis vaporibus infectos, etiam menſis admittunt: quin adhibeat quis medicum conuiuio inter ipſos

Monachi in cadauera more ſtercora more pupa

Medici ad ſtercora more pupa

Scatophagi Medici

cibos & pocula de stercore, vrinis, sudoribus, sanie, vomitu, menstruis differet: atque epilepsias, lepras, vlcera, scabies, & pestes tractabit, totumq; alioqui lautissimis obsonijs paratissimum conuiuium sermonum suorum impuritate, in nauseam conuertet? Adhibete etiam medicum si vultis ciuilibus consultationibus, nihil illo ineptius, insultiusque idque forte, cum quia medicorum disciplina (quod eorum ait Conciliator) non est de virtutibus nec bonis moribus, tum q; (vt idem ait) naturaliter probus medicus, malorum morum esse debeat: & nos scimus apud multas ciuitates decretis publicis & plebiscitis cautum esse, ne medici in consilium admittantur, nec magistratum gerant. forte non tam, quia inepti, leues, male morigerati, quam quia semper sordidi, & ægrotantiū retrimentorumque assidua attrectatione adeo cōtagiosi, vt non solum propinquantes sibi homines, sed etiam subsellia inquinent, & marmora inficiant, vt eleganter de quodam medico cecinit Lucilius græco epigrāmate ab Ausonio sic latine reddito:

Alcon hesterno signum Iouis attigit, ille
Quanuis marmoreus vim patitur medici.
Ecce hodie iussus transferri ex æde vetusta,
Effertur, quanuis sit deus atq; lapis.

Quando vero in suam medicam consultationem coeunt, quid ea nocte minxerit & cacauerit æger examinaturi, ac tanquam Laconū Ephori de vita ac nece pronunciaturi sententiam, mirum, sed dolendum, quam tūc miseris altercationibus, nullo idem censente circa ægri lectulum concertant, quasi non ad curandum, sed ad disputandum conducti sint, atq; ægro ipso, cui (iuxta græcum Me

nandri versiculum, latine autem inquientis: Medicus garrulus ægrotanti alter morbus) omnis fere sermo molestus est. illorum oratione non opera opus sit, ac productis ad ostentationem suam scholastico more aliquot aphorismis, quos ad omnem vsum semper eosdem paratos habent, inuocatisque Hippocrate, Galeno, Auicenna, Rasi, Auerroe, Conciliatore, cæteriscp suis disquorum nomina & tituli illis pro doctrina satis sunt, ad conciliandum sibi apud imperitum vulgus fidem, doctrinæque æstimationem, vbi de causis, de signis, de affectibus, de humoribus, de die cretica, aliquandiu serioſe, sed indecisa discordia digladiatum est: tandem de adhibendo remedio, quod caput & cauda totius negotij esse debuerat, frigidissimo decreto transigunt: atque vt est eorum inter se mutua inuidia, nullo illorum sua secreta (vt vocant) æmulis suis communicare volenti: tanquã ipsis periturum sit quod tradiderint alijs, ad communem methodicam recurrunt: quæ si illos destituat, ad empiricam tanquam ad sacram anchoram confugiunt: vt quem ratio non restituit adiuuet temeritas, satius esse inquientes, anceps experiri auxilium quam nullum: vel ægrum ipsum, si minus sunt illi propitij, atcp illos (vt ait Ecclesiasticus) languor prolixior grauet, prognosticis relinquunt, dicentes: quia desperatis Hippocrates vetat adhiberi medicamĩa, aut si paulo religiosiores sunt, morbum in diuorum aliquem reijciunt, vel extremum præscribunt pharmacum, q̃d erit: Recipe tabellionem vnum, testes numero septẽ, adde sacerdotem cum aqua & oleo benedictis, quantum sufficit, & dispone domui tuæ quia morieris. Hinc Rasis conscius profecto, cũ ægrotan

tium credulæ ſtultitiæ, tum medicorum contentio
læ inſcitiæ, vtrique et ægro et medico non incau-
te conſulens, ſuadet in aphoriſmis ſuis, tantum v-
num medicum fore eligendum: quia vnius, inqt,
error magnam infamiam non inducit, et vnius
vtilitas quam in ægro efficit collaudatur: qui au-
tem quam plures medicorum adhibuerit, is in er
rorem incidit plurimum, hæc Raſis: Atteſtatur q;
huic vetuſta illa monumenti inſcriptio, turba ſe
medicorum perijſſe, atque illud græcum prouer-
bium: Multorum medicorum introitus ægrum per
didit. Illud etiam moribundi iam Adriani impe-
ratoris dictum: Medicorum turba principem per
dit. Nullū igit pro conſeruanda vita ſanitateque
vtilius conſilium, q̄ abſtinere a medicis. Corporis
enim ſanitas deo debet, non medicis: ideoq; Aſa
rex Iuda corripit a propheta dñi, qa in infirmita-
te ſua non q̄ſiuit dñm, ſed in arte medicorum con
fiſus eſt: quoq; qdem cōſilijs, qui ſe tradiderint, ſa
ni eſſe non poterint: nec enim vita vlla miſera ma
gis quam quæ ſub eorum auxilij fiducia ducitur
Eſto verum, ſciant medici, atque vtinam ſciren-
omnes vires et poteſtates elementorum, radicum
herbarum, florum, fructuum ſeminum, etiam ani
malium et mineralium omniumq; quæ parēs na
tura producit, tñ non pñt omnibus ijs virtutibus
hoiem, nedum immortalem facere, ſed q̄d minus
eſt, nec leui q̄uis morbo ægrotantem ſemper ſana
re. O quoties medicamen quod prodeſſe debuerat
non profuit, et quod debuerat excernere non ex-
creuit, quoties recidente ægro remedicandum eſt,
et tandem poſt multos labores et ſumptus, vel tūc
vel paulo poſt, etiam vel aſtantibus medicis, mo
riendum eſt: quæ ergo nunc ſpes nobis in me-

dicis repoſita eſt? ſi (quod ipſe eorum ait Hippocrates) experientia fallax ſit. Quid certi poſſunt promittere medici? ſi verum eſt quod Plinius ſcribit, nullã artem medicina incõſtantiorem eſſe, etiam num ſæpius immutari. Multæ gentes olim fuerũt & adhuc ſunt abſq; medicis degentes, quas videmus vltra decrepitam ætatem robuſtas & ſupra centenarios annos viuere: contrario iſtos delicatiores populos, qui medicorum promiſſis & opera viuunt, vt plurimum media ætate ſeneſcere et occumbere: quin & ipſoſmet medicos plus cæteris hominibus & quaſi ſemper ęgrotare, ac immaturiore ætate decedere. Hinc ille Lacon cuidam dicenti nil mali habes, reſpondit, qa non vtor medico, illoque iterum dicente, ſenex factus es, reſpõdit, quia numq̃ vſus ſum medico, oſtendens nullam eſſe ad ſanitatẽ & ſenectutẽ certiorem viam q̃ medicis caruiſſe: quod ſi dicat quis multos medicorum auxilio conualuiſſe, reſpõdebimus illi cõtra, plures etiam occubuiſſe, quibus medicorum opera nihil profuere, obijciemusq; illum Auſonij verſiculum, inquientis:

Euaſere fati ope non medici.

olim enim Arcades non medicaminibus vtebantur, ſed quod narrat Plinius, verno lacte vtebantur, quoniam tunc maxime ſuccis herbæ turgerent mederenturq; vberiores paſcuæ: eligebant autem p̃ cæteris lac vaccinũ, qaillę omniuorę ſunt in herbis. Lacones, etiam Babylonij, Aegyptij, Luſitani, Herodoto ac Strabone teſtibus, medicos omnes reſpuebant: languentes vero in forum & plateas efferebãt, vt q̃ ſimili morbo tẽtati effugiſſẽt, aliumue euaſiſſe noſſent illis expertis in ſe conſulerent remedijs, arbitrantes (quod etiam Corne-

lius Celsus adserit) ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre quam experientiam, qua constat doctissimos medicorū abs rustica anu sæpissime victos, illamq; vnica planta seu herbula illa perfeciſſe, quæ famatissimi medici non potuerunt, cū omnibus suis pretiosis elaboratisq; pharmacijs: nam illi dum inexplicabilibus prodigiosisq; mixtionibus (cum tot dederit natura, quæ singula sufficiant remedia, confundentes per compositam diuersarum rerum complexionem) morbos pellere nituntur, coniectura magis q̄ causa aut ratione incedunt: coramq; medendi artem, non nisi casum et coniecturam faciunt. Hæc autem vnius simplicis medicinæ vim et qualitatē cognoscens, solidis expertisq; naturæ viribus difficiles soluit ęgritudines. Rursus illi per pretiosa, et ab extremis Indis aut Gadibus quæsita, (persuadentes nisi pretiosa non prodeſſe) magno impendio venalem sanitatem promittunt. hæc inuentu facillimis, vulgoq; paratis, et quas in hortis suis quisq; facile habet, domesticis plantis, sanitatem non tam promittit quam restituit. Præterea hi ex fallacibus libris, et pictis codicillis edocti, difficillimam medicandi operam, audaci quadam temeritate, cultaq; garrulitate ad quęstum vsurpant: hęc e terris et agris singulas plantas, earumq; colores, figuras, sapores, odores, varietates, contemplata & edocta, et quid in morbis reliquisq; casibus possint experta gratis cuicq; certissima dat remedia. Ipsi etiā medicorum præcipui confitentur se a mulierculis plurima excellentissima remedia didiciſſe, & digna q̄ ipsi libris suis insererent, & veluti potiora posteris communicarent, quale contra capitis dolorem extollit Auicenna medicamen a muliere tra

ditum. Quod si medicina quæ sanitatis temperamentum afferre debet, consistit in proportione & temperamento rerum adinuicem: cum inter se, tũ etiam cum qualitatibus corporis cui tribuuntur: atq; antiquorum medicorum hæc diligentissima cura fuit in proportionandis & contemperandis medicaminibus, per iusta et harmonica pondera, relinquentes posterioribus hæc deinceps proportionanda ægrotorum corporibus: quæ ista est audacia atq; impudentia, hæc nõ solum immutare, sed illis etiam superaddere, penitusue negligere aut ignorare? Vnde fit q̃ sicut consonans pharmaci tẽperamentum sanitatem adferre deberet, ita illius dissonantia dolorem, horrorem, exasperationem morbi, & nonnunquam mortem inducit: ideoque tutius medetur rustica anus, vno aut altero hortẽsi & naturæ opera absoluto medicamine, q̃ medicus ille cum suis prodigiosis, sumptuosis, & dubia coniectura conflatis pharmatijs: fuerunt illius sententiæ multi & excellentissimi philosophi & medici, videlicet non nisi simplicissimis rebus medendum esse: hinc simplicium vires perscrutati experticq; de illis posteris nobis egregia volumina reliquerunt, quale Chrysippus de brassica, Pythagoras de scylla, Marchion de rafano, Diocles de rapo, Phanias de vrtica, Apuleius de betonica, & multi alij antiqui de alijs conscripserunt: Sed hos illi officinarum medici non solum non curant, sed etiam irrident, simplices appellantes qui studeant simplicibus. Hos igitur medicos (dico quidem q̃ per simplicia medentur) non tam consulẽdos quã etiam sequendos esse nulli dissuadeo. Verum illos officinarum cultores tanquam sortilegos & maleficos consulo fugiendos & propellendos, q̃ suis

prodigiosis compositionibus de malis nostris negotiantur, & sup vitã nostrã mittunt sortes. Nam cum cõposita medicamina ex multis disparibus & pugnantibus speciebus conflari necesse sit, impossibile aut saltem difficillimum est in illis aliqd certi posse statuere medicum, nisi sola opinione, çstimatione, coniectura: cunque innumeræ sæpe res sint, quę singulæ prodesse videntur, ea sola congerit medicus quæ sors vel casus memoriæ suæ tunc obtulerit, aut in quæ alio quouis intrinseco siue occulto instinctu fuerit propensior: Vnde fit vt compositum illud pharmacum non tam ab ingredientium simplicium potentia, quã a medici fausta & infausta affectione sortiatur virtutem & effectũ, quatenus ille occulto quodam influxu siue naturali, siue cœlesti, siue dæmoniaco, siue fortuito plus ad hæc q̃ ad alia eligenda inducitur. Atque hoc est quod communiter dicitur, atq; ipsi fatentur, medicum vnum esse alio fortunatiorem, ac sæpissime indoctum docto feliciorem. Quin & vidi ego & noui medicum virum literatissimum tã infelicem, ut e multis ægris uix paucissimi e manibus eius salui euaderent. Noui & alium semisciolum qui omnes ferme ægros suos plærosq; etiam ab aliis pro deploratis derelictos feliciter sanaret: Quin & memini me legisse de medico in cuius manibus quicunque nobiles & magnates incidissent, euaderent, plebei omnes & rustici perirent, aut graiter periclitarentur: Videre igitur nunc facile est, hanc officinariam medicinam, in qua pluris potest medici fortuna quam doctrina, totam aut pro maxima parte sortilegam esse, ideoque procul pellendam atque tanquam veneficam & sicariam esse damnandam: Proinde Romani quon-

dam sub Catone censorio medicos omnes & vt-
be Roma, & tota Italia pepulerunt, ec rum funes-
sta mendacia, crudelitatemque auersati, quod vi-
delicet multo plures occiderent quam sanarent,
tum & venenor peritissimi, odio ambitione, aut
lucro facile adduci possent, vt venenum ministrēt
pro remedio, & pacta mercede hominum vitæ in
fidientur: Sicut Pyrrhi medicus, siue is Timocha-
ris fuerit (vt vult Gellius) siue Nicias (vt alij) qui
Fabritio promiserat se dominum interfecturū me
dicina, quod facinus auersatus Fabritius, Pyr-
rhum quamuis inimicum monuit per epistolā ca-
ueret a medico: de quo Claudianus ita inquit:
Romani scelerum semper prouere ministros,
Noxia pollicitum domino miscere venena,
Fabritius regi nudata fraude remisit:
Infesto quem Marte petit bellumq; negauit
Per famuli patrare nefas.
Similia de Græcorum medicis apud Plinium Cato
scribit ad filium inquiens: Iurarunt inter hæc bar
baros omnes necare medicina: sed hoc ipsum mer
cede faciunt, vt fides eis sit, et facile disperdant. Et
paulo post subiungit: Vnde testamētorum plures
insidiæ, iam vero & adulteria in principum do
mibus, etiam vt euidens Eudemi in Liuia Drusi
Cæsaris: hæc Plinius. Ipse etiam Socrates apud
Platonem vetuit, ne medici in ciuitate multiplicē
tur: Expediret & in hunc diem reipublicæ, nul
los esse aut pauciss imos medicos: quodque lex ex
taret, quæ eorum puniret, cum insciti æ, tum ne
gligentiæ malitiam capitalem: Capitale enim
est, neque refert imperitia an negligentia, stultitia
an malitia, perperam an studiose medicus pro
pharmaco venenum porrexerit, hominemque in

vitæ discrimen adduxerit: atq; non (quod Plinius ait) medico hominem occidisse summa esset impunitas. Qui certe vnus illis atq; communis cum carnifice honos est, homines scilicet accepta mercede occidere: atq; ex homicidio, vnde supplicium cunctis lex statuit, nullique concessa impunitas, ñ solí capiunt præmia: hoc tamen interest q̃ carnifex non nisi ex iudicum sententia necat noxios, medicus autem præter omne iudicium perimit etiã insontes: non ergo insalubriter pontificum constitutiones arcent a medicando clericos, cum ars medicares adeo sit cruenta, vt si fas sit sacerdotibus & clericis medicum agere, liceat etiam agere carnificem: neq; imprudenter Portius Cato medicis quondam interdixisse putandus est: cum, quia sciẽtiæ huius famam semper nouitate aliqua aucupãtur: tum, & dum pudet noui nihil adferentes aliorum inhærere vestigijs, experimenta per mortes agunt, & artem suam nostris periculis discũt, qua de vita nostra negotiãtur, malaq; hominum, quæ breuissimo tempore tolli possent, producunt: non raro etiam adaugent maiori pro compendio, cui fraudi vt obuiaretur apud Aegyptios medici añ diem tertiũ ęgrotorum corpora eorum periculo curabant, post triduum autem suo.

De pharmacopolia. Cap. LXXXIIII.

IAmque etiam a cocis suis, apothecarios & pharmacopolas vocant, quorum (vt est in prouerbio) tituli remedia habẽt, pixides, venena siue (ut canit Homerus) pharmaca mixta, salubria multa, & noxia multa, quibus cum damno esse minime volunt, nos mortem nostram magna emc

re pecunia compellunt: dum illi aliud pro alio pro pinantes, seu putridum inueteratumue & euanidum pharmacum miscentes, sępe mortiferam potionem dant pro salutifera: dum facta iampridem emplastra, collyria, vnguenta, pastillos & alia pharmaca, nō nisi in officinarum compendia ex ipsa specierum fece ac tabe conflata mercantur, atq; hæc omnia nescientes discernere credunt barbaris mercatoribus omnia fraudibus & sophisticatione corrumpentibus. Possem etiam hic ostendere pernitiosas illoq; discordias de simplicium quibus vtuntur medicinarum cognitione, errorescq; eorum circa medicinalium rerum nomina ab illis male intellecta, pessimecq; vsurpata: quæ plurima Nicolaus Leonicenus amplo volumine ostendit. Transeo etiam docere de prodigiosis cōpositionibus, multarumq; externarum rerum mixturis, quibus dum omnia confundentes vnum quod omnibus naturis quadret medicamentum sese effecturos nobis persuadere volunt (sicut de compositione theriacę ac tyri fabula, decq; illo antidoto mytridatico statuerunt) nihil aliud efficitur q̄ poeticum illud chaos.

Rudis indigestaq; moles
Nec quicq̄ nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum
Vbi corpore in vno,
Frigida cum calidis pugnant, humentia siccis
Mollia cum duris, sine pondere habentia pōdus,

Esto, sint quædam compositiones ab antiquis medicis excogitatæ & vtiles inuentæ quæ experta liceat recipere, tamen a vera illa methodo sunt aliena, & ab ipsismet medicis propria conscientia coactis damnata, & omnibus modis exploſa

a Plinio, a Theophrastro, a Plutarcho, ab Hippocrate, Galeno, Dioscoride, Erasistrato, Celso, Scribonio, Auicenna, quorum verba hic subscribere nimis longum esset, nec ab antiquis illis solum, sed etiam a multis recentioribus, e quibus vnus Arnoldus de villa noua inter aphorismos ait, vbi in promptu habētur simplicia, dolum esse si quis compositis vtatur. At hodie neglectis & ne cognitis quidem simplicibus, non nisi ex duobus illis apothecariorum luminarijs, ac aromatariorū thesauro, tum Mesue & Nicolai, cæterorumq; antidotarijs, picturatis & inauratis titulis medicamina promuntur: atque hinc fit vt dum medici isti suo otio consulentes vitas hominum apothecariorum fiducia gubernant, atque illi sine literis, sine cognitione barbaris mercatoribus confisi, pro officinę compendio res permiscent, vt multo plus periculi sit a medicamine quam a morbo. Iamq; etiam dicamus de pretiosorum medicinalium sophisticatione, quæ tanto ingenio sæpe ad similata sunt, vt industrios etiam homines decipiant: plurimumq; conduceret saluti hominum ac reipublicæ peregrinis omnibus exoticisq; pharmacijs, quæ tanto præterea precio a prędonibus mercatoribus in reipublicæ detrimentū adductæ sunt omnino intercidere: ac medicos omnes in ordinē cogere, pharmacopolasq; adstringere, ac legem illis præscribere, cuiusmodi olim Romæ (dum ad huc melior esset) Nero tulisse legitur: qua ijs duntaxat quæ noster gignit orbis pharmacijs vti cōpellantur, cum hæc nostræ cuiusq; naturæ conueniant magis, tum longe recentiora, electiora, minoriq; difficultate ac sumptu haberi possunt, mi-

horiq; periculo quã peregrina quorum maxima pars suspecta est, vt quæ sæpissime sophisticata, adulterata, reiectitia, vel in naui suffocata, vel immersa lacunæ, vel vetustate corrupta, vel non debito tempore & loco (vnde sæpe plurimum imminet periculi) collecta sunt: nam colloquintida non matura sanguinẽ educit & interficit, & quæ sola vel vnica nascitur, venenum est. Similiter & agaricus masculus mortiferus est, & qui antiquus pernitiosus. Scamonea omnis sophisticata est, similiter & terra Lemnia, et fides sigillorum periit: Iam quæso quæ necessitas est ijs vti peregrinis, si eadem similiaue consimilisq; efficaciæ nostra terra producit? An non egregie stultum est malle ex India petere quod domi habemus? existimantes propriam neq; terram neq; mare sufficere, patrijsq; rebus peregrina, frugalibus sumptuosa, ac facile acquisibilibus difficilia, & ab ipsis vsq; terræ finibus importata præferentes. An sine armoniaco spleni nemo mederi poterit, nec epatia absq; sandalis? An si caremus bdellio vlcera interiorũ nemo curabit? nec capiti quis medebitur sine musco & ambra? nec stomacho sine mastice & corallijs? Si hæc peregrina nostris corporibus conuenirent medicamina procul dubio natura factum esset, quæ omnibus prouidit abundanter, vt hæc apud nos quoq; nascerentur. Nonne absq; illis & salubrius vixerunt patres nostri? Sunt ergo hæc desidiosorum medicorum qui nostra non inquirunt nugamenta, & pharmacopolarum commenta, qui non communem salutem, sed suæ negociationis compendium quærunt, persuadentes nobis non nisi pretiosa quæque plurimum prodesse, quibus idcirco improperatur

per Ieremiam: Nunquid non est resina in Galaad, aut medicus non est ibi: suis quibusq; terris & regionibus, suæ genti, suo climati, suo cœlo, suo seculo natura herbas producit atq; cõtemperat, esto: quædam alijs atq; alijs locis temporibusq; acriores habeant vires, in quolibet tamẽ tempore & climate pro suo hominumq; temperamento eadẽ operantur, habeant liceat pretiosa illa & exotica nostris plantis maiores vires, sed has nõ nisi in sui climatis hominibus, quibus creata & producta sunt, putabimus salubres. At sunt etiam empiricorum rapinæ persuadentium nobis monstrosa quædã pharmaca & a medendi vsu exotica plurimum posse conferre, & sine ijs salutem nostram non posse constare, impendio miserorum sua commentaria experiuntes: Hinc viperas & serpentes & nocentissima quæq; reptilia antidotis admiscent, & velut deficientibus remedijs, humanam adipem in vnctiones subigunt, humanasq; carnes aromatibus adseruatas (quam mummiam nuncupant) nepharionaturæ piaculo hominibus edendas præbent.

De chirurgia. Caput. LXXXV.

REstat chirurgia, altera medicinæ pars, quę excutanea corporis vitia curat, cuius opera manifesta & securiora sunt remedia, nã reliquorum medicorumęca consilia sunt. Chirurgi vident et palpitant quod agunt, ac pro opportunitate mutant, applicant, & auferunt: hæc inter omnes medicandi artes prima in vlum venit: Nam cum homines ab antiquo sese bellis

exercerent, & vulnera subijnuicem infligerent, cœperunt illorum quærere remedia. Nam quæ homo homini mala inflixisset, ab hominibus quoq; curari posse putabant: Cæteros autem morbos & interiorum cruciatus, tanquam ira deorum genitos, incurabiles naturalibus viribus æstimabãt. Primus itaq; chirurgiæ inuentor fuit Apis Aegyptiorum rex, vel vt vult Clemens Alexandrinus antiquior illo Mizrai filius Cain nepos magni Nohæ. Scripsit autem primus medicinam vulnerum Aesculapius: Deinde excellentes in ea extiterunt Pythagoras, Empedocles, Parmenides, Democritus, Chiron, Peon. Narrat Plinius hanc Romæ primum exercuisse Archagatum, Peloponnensem, illumq; ob secandi vrẽdiq; sæuitiam fuisse vulnerarium publice vocatum, mox transisse nomen in carnificem, deniq; vniuersam artem tedio habitam & explosam. Est itaq; chirurgia nõminus reliquorum medicorum factionibus excellentium virorum autoritate clara, sed virulentarum sordium immunditia & sanguinolenta crudelitate, infamis.

¶ De anatomistica. Caput LXXXVI.

HAnc tamen crudelitate superat anatomia vtrorumq; pharmaceuticorum & chirurgorum theatrica carnificina, qua damnatos publicæ morti reos quondam viuos ac remanente spiritu truculentissimis cruciatibus resecarunt: Sed hodie ob Christianæ religionis reuerentiam paulo mitiores effecti, interempto prius homine, ipsorum vel lictoris manu, in mortui cada-

uer: deinde his piaculis grassantur, humanum que corpus dilaniantes, membrorũ singulorum situm, ordinẽ, mensurã, opera naturã & abdita quæque perquirunt ac rimantur: vt inde quomodo & quibus locis curandum sit, addiscant: crudeli hac diligentia atq; spectaculo horrendo & abominabili nec minus impio.

De veterinaria, Caput LXXXVII.

ESt adhuc & alia medicinæ praxis, quã veterinariam uocant, quę brutorum morbis medetur, cæteris longe certior & vtilior, a Chirone centauro (vt fertur) inuenta, & a Columella, Catone, Varrone, Pelagonio, Vegetio, nobilissimis scriptoribus illustrata: Hanc tamẽ annulati isti medici non tam verecundiæ sibi ducũt, q̃ penitus quoq; ignorãt & aspernantur admodũ delicatuli, vt tanquam vpupa auis, nõ nisi humanis stercoribus oblectentur: Vnde si quis ab illis pro asino aut boue suo medicamen requirat, pro remedio mox iniuriam acceptus sit, quasi ad eos non pertineat scire, non solum hominibus, sed etiam cæteris animalibus (præcipue quæ hominibus commodare ferunt) mederi: pro qua re Alphõsus Aragonum rex olim duos expertissimos medicinæ doctores pro equis & canibus amplo condu xit stipẽdio, iussitq; solicitos scrutari quæ remedia & quis medendi modus singulis bestiarum morbis conueniret: quod illi facientes, librum de his rebus vtilissimum ediderunt: fecit idem his temporibus Ioannes ruellus Parthisiensis vir in vtraq; lingua peritissimus, ac Physicus primarius, qui de

morbis equorū, eorūdemq; remedijs, ex vetustissimis autoribus Apsircho, Hierocle, Theomenesto, Pelagonio, Anatolio, Tiberio, Eumelo, Archedamo, Hippocrate, Hemerio Africano, & ex Aemilio Hispano, & Litorio Beneuentano delectum volumen transtulit, veterinarijs omnibus magnæ cum reipublicæ commoditate profuturum.

De dietaria. Cap. LXXXVIII

SVpereſt adhuc medicina dietaria, cuius princeps præ cæteris extitit Aſclepiades, qui ſublato magna ex parte pharmacorum vſu, totam medicinæ artem ad victus ratiõem, ad quantitatem & naturam ciborum, obſoniorumque condimenta reduxit: a quo cęteri medici non omnino diſſentiunt, ſed ita putantes q; alterum altero indigeat, victus quando que pharmacijs, ac illa pariter victus ratione atque menſura: hinc iubent, inhibent, execrantur, accuſant cibos & potus quos deus creauit, inobſeruabileſque victus regulas condunt: & quas alijs eſcas vel modeſte delibare prohibent, ipſimet tanquam porci glandes deuorant, & quas alijs viuendi leges præſcribunt, ipſi omnium primi præuaricantur, non tam negligenter quam conſulte. Nam ſi ipſi iuxta hęc ſua dietaria decreta viuere deberent, ſanitatis non modicam iacturam facerent, ſi vero vt ipſi viuunt, ſic ægros quoque naturæ legibus viuere permitterent, pecuniæ damnum ſentirent. Verum de his dietarijs ita ait Ambroſius, contraria diuinę conditioni prędicinę ſunt quę a ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, ab inten-

tione meditationis abducunt: ita qui se medicis dederit, seipsum sibi abnegat: et Bernardus scribens super cantica ait: Hippocrates et Socrates docent animas saluas facere in hoc mundo. Christus et discipuli eius perdere, quem vos e duobus sequi vultis magistrum? Manifestum se facit, qui diputat hoc oculis, hoc capiti, hoc stomacho nocet legumina ventosa sunt, caseus stomachū grauat lac capiti nocet, potum aquæ pectus non sustinet: quare hoc est, vt totis fluuijs, agris, hortis et cellarijs vix inuenire possis, quod comedas. Sed esto hæc Ambrosij et Bernardi verba ad solos monachos dicta sint, quorum forte non est debere tantā rationem habere de valetudine quam de professione: at ciuiles homines non dedecet cum valetudinis ratione, etiam victus & obsoniorum varietas atq; mensæ lautities: primum dietaria medicina pollicetur, alterum præstat coquinaria, præparandorum ciborum & potuum disciplina. Quocirca Plato hanc medicinæ adulatricem vocat, plærique eam dietariæ medicinæ partem adnumerant quibus Plinius & Seneca & residua medicorum schola fateantur, ab exquisitorum ciborum varietate multijugos morbos generari.

De arte coquinaria. Cap. LXXXIX

ARs itaq; coquinaria percommoda est, nec inhonesta, si modo discretionis limites nō egrediatur. Atque hæc ratio etiam summos & continentissimos viros induxit, ut de coquinaria & obsoniorum condimentis scribere non erubescerent. Ex Græcis Panthaleon, Mi

thecus, Epiricus, Zophon, Egesippus, Pazanius, Epenetus, Heraclides Syracusanus, Tyndaricus Sytionius, Symonactides Chius, Glaucus Locrēsis: Ex Romanis Cato, Varro, Columella, Apicius: & ex recentioribus Platina: Asiati autem his rebus tam luxuriosi atq; intemperantes semper extitere, vt ipsum nomen eorum in heluonum ac gulonum transierit cognomentum, quos inde Asotas nuncupamus: hinc (quod refert Titus Liuius) post Asiaticam victoriam peregrinæ luxuriæ in Romanam vrbem defluxerunt, tunc enim primum epulæ cura & sumptu maiore apparari cœptæ: tūc coquus antiquis vilissimum mancipium & in æstimatione & in vsu & in pretio esse, atque culina adhuc iure madens, fuligine tinctus, cum ollis, patinis, tunstillo, mortario, veru, in schola receptus, & quod vile ministerium fuerat, ars haberi cœpit: cuius tota solicitudo est vndecunq; conquirere inuitamenta gulæ, æduliaq; ciborum ad profundā ingluuiem satiandam vndecunq; locorum inuestigare: cuiusmodi plura ex Varrone enumerat Gellius, videlicet pauum e Samo, Phrygiam attagenem, grues Melicas, hedum ex Ambracia, pelanum Chalcedoniam, murenā Tartessiam, asellum Pessinuntium, ostreas Tarentinas, pectūculum Chium, helopem Rhodium, scaros Cilices, nuces Tasias, palmas Aegyptias, glādes Ibericas, quæ omnes edendi institutiones ad improbam satietatis luxusque lasciuiam repertæ sunt. Eius autem artis gloriam & famam sibi p̄ cæteris vendicauit Apicius, vt ex eius nomine (teste Septimio Floro) cognomētum in coquos, quo Apiciani dicerentur, quadam philosophorum imitatione propagatum sit: de hoc Seneca sic scriptū

reliquit: Apicus (inquiens) noſtra memoria vixit qui in ea vrbe (ex qua aliquando philoſophi velut corruptores iuuentutis abire iuſſi ſunt) ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſæculum infecit. Plinius quoq; illum nepotum omnium altiſſimum gurgitem ſeueriſſime nuncupauit. Tot denique gulæ inſtrumenta, tot irritamenta libidinum, tot obſoniorum varietates Apicianorum illorum ingenio excogitata & confícta ſunt, vt tandem opus fuerit præſcriptis legibus popinæ luxus coercere. Hinc veteres illæ ſumptuariæ & cibariæ leges latæ, videlicet, Archia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, lex Lepidi, lex Antij Reſtionis: ſed & Lucius Flaccus & collega eius cenſores, Durionium ſenatu mouerunt, & legem de coercendis cõuiuiorum ſumptibus latam tribunus plebis abrogare vellet: quam impudenter enim Durionius noſtra cõſcendit illa dicturus: freni ſunt iniecti vobis Quirites nullo modo perpetiendi, alligati & conſtricti eſtis amaro vinculo ſeruitutis: lex enim data eſt quæ vos frugi eſſe iubet, abrogemus igitur illud horridæ veruſtatis rubigine obſitum imperium: etenim quid opus libertate eſt, ſi volentibus luxu perire non licet? Erant & plæraq; alia edicta quæ nunc omnia antiquata ſunt penitusq; ſoluta, adeo vt nulla ætas vnquam maiori gulæ cura ac luxu indulſerit, quam hæc noſtra, qui eius cauſa vt (ait Muſonius, & poſt illum noſter Hieronymus) terram percurrimus & maria, & vt mulſum vinum pretioſuſque cibus fauces noſtras tranſeant, totius vitæ opera deſudamus. tot modo apud nos popinæ, tot ganeæ, tot gnatonum & luparum tabernæ, vbi homines edacitate, ebrietate, & libidine perduntur, vt ſæpe non abſque ma-

gno reipublicæ detrimento tota deuorent absu-
mantq; patrimonia, tot modo reperta ferculorum
genera, tot obsoniorum condimenta, tot mensa-
rum leges, ritus, & ceremoniæ, vt Asotorum, Mi
lesiorum, Sybaritarum, Tarentinorum: præterea
Sardanapali, Xerxis, Claudij, Tiberij, Vitellij,
Heliogabali, Galieni imperatorum, aliorumque
illorum veterum heluonum (quos omnes delitijs,
luxu ac voluptate popinæ, cæteris nationibus ac
hominibus præstitisse narrant historici) opipera
conuiuia penitus sordida, incondita, rusticanaq;
euasura sint, si cum ijs nostris conuiuiorum adpa-
ratibus conferantur: præterea nihil actum est cibi
& potus elegantia, nisi simul etiam adsit abundā
tia vsque ad fastidium. & quæ vel Herculem ine
briet, qui eadem sæpius naui & vehebatur & po
tabat: ac cibi satietate Crotoniensem Milonem
& Aureliani phagonem expleat, quorum ille tri-
ginta panes vna cœna præter reliquos cibos co-
medere solitus erat, alter vno die ante Aureliani
Cæsaris mensam aprum integrum, cētum panes,
veruecem & porcellum deuorauit: bibit autem in
ifundiculo apposio plus orca: hæc hodie apud nos
receptissima sunt in rusticanis illis publicis conui
uijs, & templorum dedicationibus, cæterisq; eo-
rum festis, diceretis Orgia bacchi celebrari, tam
sunt illic omnia furore, cruore, & multiplicibus gu
læ ebrietatisq; flagitijs commaculata: tum Cen
taurorum conuiuia a quibus sine cicatrice nemo
reuertitur: illic spectaretis, & qualē de Erisichtho-
ne voracitatem describit Ouidius hoc carmine:
Nec mora, quod pōtus, quod terra, q̄d educat aer
Poscit, & appositis queritur ieiunia mensis,
Inq; epulis epulas quærit quodq; vrbibus esse,

Quodq; satis poterat populo, nō sufficit vni,
Plusq; cupit, quo plura suam demittit in aluum.
Vtq; fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis peregrinosq; ebibit amnes,
Vtq; rapax ignis non vlla alimenta recusat,
Innumerasq; faces cremat, & quo copia maior
Est data, plura petit, turbaq; voracior ipsa est,
Sic epulas omnes Erisichthonis ora prophani
Accipiunt, poscuntq; simul cibus omnis in illo
Causa sibi est, semperq; locus sit inanis edendo.

Erant olim apud Græcos deinde etiam apud Romanos athletæ homines uoraciſſimi, sed horum infamia tandem etiam a viris consularibus et imperatoribus victa est: nam Albinus qui quondam rerum patiebatur in Gallia cētum persica, denos pepones, quingentas ficus passurias, trecentas ostreas, vna cœna deuorauit: et Maximinus imperator, qui Alexādro Mammeæ filio succeſſit, qua draginta libras carnis vna die comedit, bibitque vini amphoram: continet autem amphora quadraginta octo sextarios. Geta etiam imperator tā perditi luxus traditur, ut dapes per alphabetum in ferri iusserit seseque triduanis epulis ingurgitarit. Iam vero (quod scelus impium magis) cum deus & natura cibum nobis potumq; salutis ac fortitudinis causa præparārent, nos contra varijs obsoniorum artificijs illis abutimur ad voluptatē, & supra humanæ naturę capacitatē ingurgitamus corporibus nostris, immedicabiles morbos inde contrahentes, quo palam videmus verum esse q̄d ait Musonius, dominos seruis, vrbes rusticis, inopes opulentioribus, & quosq; qui vilioribus obunjsq; vtuntur alimentis cæteris esse robustiores, valentiores, fortiores, labores melius tolerantes,

minusq; ijs defatigari, ægrotari autem rarissime, neque vllos magis vexãt graues illæ ægritudines, puta, hydrops, podagra, morphea, colica, & consimiles, quam qui simplicem victum contemnentes, ex coquinarum officinis viuunt: contra vero qui simplici contenti victu magis incolumes cernimus. Astipulatur isti etiam Cornelius Celsus, q̃ homini (inquit) vtilissimus cibus est simplex, acerua tio saporum pestifera, & condita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam & plus propẽ dulcedinem absumitur, quam modo par est, tum ægrius concoquit̃. Multi præterea grauissimi viri autoresq; hæc gulæ irritamenta obsoniorumq; artificiosam voluptatem detestati sunt: sed sunt & alij qui religionis nomine, nedum gulam, ne dum luxum, sed & cibos nonnullos quos deus creauit ad vescendum detestatur, abstinentes carnibus: vino autem in quo (vt ait apostolus) est luxuria, ipsis Epicureis capatiores, abstinere & ieiunare se dicentes, cum se omni piscium genere & optimo quouis vino oppleuerint, ad quæ labra & linguas & dentes &, ventres armata circunferunt, non autem loculos: sed de ijs satis, quin a cibaria hac ad gebericam hoc est alcumisticam coquinam, quæ non minores decoquit opes q̃ popina, modo vadamus.

De alcumistica.
Caput XC.

ALcumistica itaq; siue ars, siue fucus, siue natura persecutio dici debeat, profecto ingnis est eademq; impunis impostura, cuius vanitas eoipso se facile prodit, cum polliceatur quæ natura nullo modo pati potest nec attingere

cum tamen ars omnis non possit naturam superare, sed illam imitatur, & longis passibus sequitur, & multo fortior sit vis naturæ quam artis, Alcumistica autem.

Ars suspecta probis, ars ipsa inuisaq; multis,
Inuisos etiam cultores efficit artis,
Mendaces adeo multi manifeste videntur,
Qui seipsos aliosq; simul frustantur inertes.

Dum rerum vertere species tentant, ac benedictū quendam philosophorum (vt vocant) lapidē fabricare præsumunt, quo Midæ instar contacta omnia corpora ilico in aurum argentumue permutētur: quin etiam e summis, inaccessisq; cœlis quintam quandam essentiam deponere nituntur, qua iam non solum plures quam Crœsi diuitias, sed & depulso senio reiuuenescentiam perpetuamq; sanitatem, ac tantum non immortalitatem, vna cū ingentibus opibus nobis pollicentur.

At nusquam tantos inter qui talia curant,
Apparet vllus qui re miracula tanta
Comprobet.

Sed medendi aliquod experimentis, tum ex cerussa purpurissa, stibio, sapone, consimilibusq; pigmētis, ac muliebribus fucis, vetularumq; incrustationibus, & cuiusmodi sacræ literæ vocant, vnguenta meretricia stipem corrogant, quo geboricā instruant officinam, vnde in prouerbium abijt: Oīs alcumista, vel medicus, vel saponista credulorum hominū aures verbis diuitant, pecunia inanes vt reddant loculos: Et quibus ipsi spondent diuitias, ab his drachmas petunt, hinc se palam prodit hanc artem esse nullam, sed ingentes nugas & insanæ mentis inania commenta. Inueniunt tamen tantæ felicitatis percupidos homines, quibus mi-

to ingenio sese maiores diuitias cõsecuturos in hydrargyrio quam natura præstet in auro persuadeant, & quos iam ter quaterque deceptos semp nouis præstigijs incautos denuo fallant, & prodigiosa hac impostura cogãt follibus auram impellere fornacibus, nulla dulcior insania quam fixum volatile, tũ volatile fixũ fieri posse credere: sic teterrimi carbones, sulphur, stercus, ac venena, lotia, & ois dura pœna est vobis melle dulcior, donec prædijs, mercibus, patrimonijs omnibus decoctis, & in cinerem & in fumum conuersis, dum longi laboris præmia, & nascituros fœtus aureos, perpetuãque cum reiuuenescentia sanitatem, sibi molliter pollicentur, deuoratis multo tempore & sumptibus, tum primum vetuli, annosi, pannosi, esuriẽtes, semper sulphur olentes et inter carbones atra fuligine sordidi, assiduaque argenti viui contrectatione paralytici, solius nasi adfluentia diuites, cæterum adeo miseri, vt pro tribus assibus etiam animam venalem habeant, quam metallis inferre conabãtur metamorphosim, in seipsis experiuntur, effecti iam ex alcumistis cacochimici, ex medicis mendici, ex saponistis cauponistæ, ludibriumque populi, stultitiaque patens, & fabula vulgi, & qui iuniores in mediocritate viuere contempserunt, per omnem vitam alcumistarum fraudibus expositi, iam senes facti in summa paupertate mendicare compelluntur, ac in tanta calamitate constituti, pro fauore & misericordia, insuper contemptum risumque reportant, paupertateque coacti sæpe ad malas artes, & monetæ adulterationem, aliaque falsificia degenerant: ideoque hæc ars non modo a republica Romanis legibus pulsa,

sed etiam sacrorum canonū decretis in tota Christiana ecclesia prohibita est: quod si & hodie omnibus qui absque singulari principis indulto alcumisticam exercēt, regno ac prouincijs interdiceretur, addita etiam bonorum proscriptione, corporisq; afflictione, profecto non tot adulterinos nummos haberemus, quibus hodie fraudātur ferme omnes magno reipublicæ detrimento. Hanc ob causam puto Amasim regem Aegyptijs olim legem tulisse, qua cogebatur vnusquisq; destinato magistratui rationem reddere, quo se foueret artificio, q̄d qui non faceret, pœna erat illi extremum supplicium. Permulta adhuc de hac arte (mihi tamē nō admodum inimica) dicere possem, nisi iuratū esset (quod facere solent qui mysterijs initiantur) de silentio. Eoq; præterea a veteribus philosophis atque scriptoribus tam constantissime religioseque obseruato, vt nullus vspiam probatæ autoritatis philosophus, ac fidus scriptor comperiatur, qui huius artis alicubi vel solo verbo meminisset, quæres plærosq; induxit, vt crederent omnes eius artis libros recentiori quo iam pridem confictos: cui nō modicum astipulatur ipsa autorum Geberis, Morieni, Gilgilidis, ac reliquæ eorum turbæ obscura & a nullis alijs celebrata nomina, cum rerum q̄bus vtuntur absona vocabula, tum sententiarum ineptitudo, philosopha ndiq; ratio peruersa. Sunt tamen qui aurei velleris pellem interpretentur fuisse librum alcumisticum veterū more in pelle conscriptum, in quo auri conficiendi scientia continetur, cuiusmodi libros apud Aegyptios, qui huius artis peritissimi fuisse dicebantur, cum Diocletianus magna diligentia conquisisset omnes excussisse legitur, ne comparatis diuitijs auriq; co-

pia fidentes Aegyptij Romanis aliquando bellū inferre auderent, atq; exinde hanc artem publico Cæsaris edicto semper habitam flagitiosam: verum nimis longum foret narrare omnia huius artis stulta mysteria, ac inania ænigmata, de leone viridi, de ceruo fugitiuo, de aquila volante, de stulto saltante, de dracone caudam suam vorante, de buſone inflato, de capite corui, deq; illo nigro nigrius nigro, de sigillo Hermetis, de luto stultitiæ (sapientiæ dicere debui) ac similibus nugis innumeris: Denicq; de illo vnico solo, præter quod non est aliud, vbicq; tamen reperibili benedicto, sacratissimi philosophorum lapidis subiecto, videlicet (pene nomen rei effutiui, cum periurio sacrilegus futurus) dicam tamen circumlocutione, sed obscuriore, vt non nisi filij artis & qui huius mysterijs initiati sunt intelligant. Res est quæ substantiam habet nec igneam nimis, nec prorsus terream, nec simpliciter aqueam, nec acutissimam, nec obtusissimam qualitatem, sed mediocrem & tactu leuem, & quodammodo mollem vel saltem non duram, non asperam, quin & gustu quodammodo dulcem, olfactu suauem, visu gratam, auditu blādam atque iucundam, cogitatu latam, plura dicere non conceditur atque sunt tamen ijs maiora, sed ego hanc artem (ob eam quæ secum mihi familiaritas est) illo honore potissime dignam censeo, quo probam mulierem definit Thucydides, Iam inquiens optimam esse de cuius laude vel virtuperio minimus esset sermo: illud duntaxat addam; alcumistas omnium hominum esse peruersissimos: siquidem cum præcipiat deus, in sudore vultus vescendum esse pane suo, & alibi dicat per Prophetam, Labores manuum tuarum quia

manducabis, ideo beatus es, & bene tibi erit. Hi diuini præcepti promissæq; beatitudinis contemptores, procul labore, & (vt aiunt) in opere mulierum & ludo puerorum aureos montes moliuntur. Non inficior ex hac arte multa admodum egregia artificia ortum habere, traxisseq; originem. Hinc azieri, cinnabrij, minij, purpuræ, & quodaurum musicum vocant, aliorumq; colorum temperaturæ prodierunt: huic aurichalcum & metallorum omnium mixtiones, glutimina & examina & sequestrationes debemus: bombardæ formidabilis tormenti inuentum illius est, ex ipsa prodijt vitrificatoria nobilissimum artificium, de qua Theophilus quidam pulcherrimum librum conscripsit. Narrat autem Plinius Tiberij Cæsaris tẽpore excogitatum vitri temperamentum quo flexibile & ductibile fieret, sed eius officinam a Tiberio abolitam, quin ipsum quoque tantæ industriæ artificem (si Isiodoro creditur) neci datum idque factum ne aurum pro vitro vilescceret, & argento atque æri sua præmia detraherentur. Sed de ijs satis.

Vitrũ flexibile

De iure & legibus. Cap. XCI.

RESTat nunc de Iuris scientia dicere, quæ solã se iactat inter verum & falsum, æquum et iniquum, phas & nephas scire discernere: cuius facultatis hodie principes sunt papa & imperator, qui gloriantur se habere iura omnia in scrinio pectoris sui recondita, quibus pro ratione sufficit sola voluntas, cuius arbitrio omnes scientias, & artes, & scripturas, & opiniones, & q